DE MODORUM IN ENUNCIATIS CONDITIONALIBUS
APUD TRAGICOS GRAECOS USU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. MENSIS MARTII A. MDCCCLXV HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS WINTER,

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

J. KRAUSE, DR. PHIL.
L. BROCK, SEM. PHIL. SOD.
H. GUHRAUER, SEM. PHIL. SOD.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

Enunciatorum conditionalium cum ea vis sit et ratio, ut altera res ex altera ita suspensa esse describatur, ut nisi praegressa illa ipsa non eveniat, manifestum est, ex ea ratione, qua hypothesis animo proponatur, prorsus aptam esse cogitandi rationem in conclusione facienda adhibendam. Proficiscitur autem ex illius diversitate omnis modorum verbi differentia, ita quidem, ut indicativo ea significentur, quae consentanea sint rerum veritati, coniunctivo, quae pro rerum conditione fieri possint, optativo, quae mente tantum et cogitatione agitentur, veritatis rerum ratione non habita. Jam vero ex iis, quae ad verum aliquem rerum statum omnino non spectant, colligi nihil potest, quod non idem a veritate prorsus remotum sit et in cogitatione sola positum, at quae concluduntur ex iis, quae aut vere esse aut fieri posse sumuntur, iure ipsa quoque in rerum veritate collocantur. Itaque optativum sequi solet optativus, indicativum et coniunctivum indicativus. Cum vero ab apodosi ad optativum adiecta prorsus coercendus sit indicativus, nisi peculiares quaedam causae exsistant, quae locum ei parent, ex indicativo et coniunctivo potest fieri conclusio optativo. Nam ab obiectivis ad subiectiva, a certis ad minus certa licet concludere. Atque ne imperativus quidem et coniunctivus adhortativus ab optativo possunt esse suspensi, adhortantur enim ii quoque ad facien-

1

dam rem neque sola mente continentur, ut optativus, qui optari quidem rem indicat, sed non simul ut perficiatur postulat.

Ut vero in declaranda ratione, quae inter cogitationem et rem ipsam intercedit, Graeci prae ceteris populis cognatis accurata cura versati sunt, ut in iis, quae fieri posse viderentur, ipsis modorum formis subiectivam et obiectivam cogitationem diligenter discernerent, ita ad rationem illam accuratius etiam significandam effinxerunt particulam, cuius vim illae nisi plurium verborum circuitu assequi non possunt. Dico ἄν particulam, in qua explananda quamvis multi et docti viri elaboraverint, nemo naturam eius magis perspexisse et viam ad singula eius usus genera expedienda melius aperuisse videtur, quam Reisigius, qui (comment. de vi et usu ἄν part. p. 99.) hoc statuit: »ἄν particula aliquid fieri per causarum quandam cohaerentiam posse indicat.« Ex his enim apparet, optativo eam, cum rem mente conceptam ad causarum vicissitudinem referat eique congruam esse dicat, aliquid probabilitatis addere, de indicativi autem praeteriti notione multum detrahere, cum rem non vere fuisse, sed fieri potuisse significet. Nam in iis, quae eventum habuerunt, inutile est considerare, potuerintne fieri, quia eventus ipse hoc docet, itaque si quis tamen in re praeterita illud reputat, simul scire se, factam eam non esse, indicat. Ea vero, quae facta esse narrantur, si adiecta particula ad causarum quandam cohaerentiam revocantur, identidem factitata esse declarantur, quotiescunque illa exstiterit. Coniunctivi notioni ἄν particula quam maxime affinis est, cum sicut ille iudicium de rerum natura faciat, quare in enunciatis conditionalibus et temporalibus ei ita adhaerescit, ut cum coniunctione in unam vocem coaluerit. Cur vero interdum omittatur, manifestum fiet ex Homeri usu, apud quem nondum increbruit adiiciendae particulae consuetudo, apud tragicos pervulgata. Neque aliis in rebus sine emolumento futurum erit, si is in comparationem vocabitur, suppeditat enim saepe largam copiam eorum, quorum pauca tantum apud illos vestigia supersunt. Atque egit nuper de eius usu Lilie*), cuius potis-

*) De locutionum hypotheticarum usu Homerico. Vratisl. 1863.

simum opera in hac re nitimur, quamquam iudicium nostrum saepe ab eo valde discrepat.

His praemunitis ad pertractanda singula enunciatorum genera accedamus, praetermissis iis, in quibus conditio aut ex antecedentibus supplenda est aut participio aut enunciatione temporali vel relativa expressa. Ex illis enim cogitandi illa in utroque membro aequabilitas non cognoscitur, haec una cum reliquis istiusmodi enunciatis melius considerabuntur.

Ea enunciata, quae εἰ particula inducuntur, infra in tabulam congessi, ut quae fuerit tragicorum consuetudo, quas dicendi formas adamaverint, quas aut respuerint aut raro adhibuerint, quam facillime perspiciatur.*)

De indicativo.

1. Quae modo de mutua membrorum relatione exposuimus, ea in indicativo ante omnia tenenda sunt, ut vim eius in his enunciatis ab ea, quam habet in oratione libera, diligenter secernamus. In illa enim cum indicativo aliquis veritatem rei esse praedicet, hic eam vere esse vel fuisse vel futuram esse sumit, ut certum aliquid inde concludat, neque vero iudicium suum de veritate rei prodit. Nam sicut adiectivis correlativis »quantus — tantus« duarum rerum ambitus par esse dicitur, sitne is magnus an exiguus an nullus non indicatur, ita indicativis in enunciatis conditionalibus positis id tantum significatur, alteri rei eandem certitudinem esse atque alteri, utrum illa vere esse videatur necne non declaratur.

Nimirum potest res sumpta ea esse, quam vere esse aliquis persuasum sibi habeat, vel ipse rerum status doceat, velut

Jon. 533. οὐ φρονῶ, τὰ φίλταθ' εὑρὼν εἰ φιλεῖν ἐφίεμαι; invenit modo Xuthus Jonem filium vultque dextram ei dare

*) In digerendis fabulis, ducibus Rossbachio et Westphalio, vv. ill., secutus sum temporum ordinem, qui vel traditus nobis est vel verisimilis videtur cum alias ob causas, tum maxime propter metrorum rationem. Cyclopem, de cuius aetate constitui nihil potest, et Rhesum, qui num ab Euripide sit compositus iam veteres quidam grammatici dubitarunt, extremo loco posui. In numerandis versibus Aeschyli et Sophoclis secutus sum Dindorfium, Euripidis Kirchhoffium, in fragmentis Nauckium.

et amplecti pectus eius, neque multum in hoc loco interest, utrum adhibeas particulam conditionalem an causalem. Magis apparet conditionalis sententiae vis

in Eur. Suppl. 915. ἡ δ' εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.

quod nos affirmare solemus particulis »da ia«, utpote cui obloqui nequeant, audientium iudicio Graeci committunt, ut illi simul confiteantur, etiam illud, quod certa quadam ratione inde colligatur, recte se habere. Atque etiam in

Soph. El. 1221. ΗΛ. ἦ ζῇ γὰρ ἀνήρ; ΟΡ. εἴπερ ἔμψυχός γ' ἐγώ.

nos vocibus »so gewiss, so wahr«, iudicium nostrum constare asseveramus, Graeci vero id agunt, ut assensionem audientium sibi expostulent, ut ii cogantur, alteram rem non minus certam habere.

Quoniam in huiusmodi locis res indicativo posita loquenti vere esse videtur, nonnumquam οὐ negatio adhibetur, ad iudicium eius spectans, Soph. El. 869. Ai. 1131. 1242. 1268. Eur. Med. 88. Hec. 592. H. F. 1302. Jon. 359. Aliis locis οὐ particula conflata est cum alio quodam vocabulo in unam notionem alteri contrariam, ut J. A. 995. verbo ἥξει opponitur οὐ παρούσης. Similes sunt Eur. El. 337. Jon. 400. Cycl. 425.

Veram autem horum enunciatorum vim in sola certa concludendi ratione sitam esse magis etiam perspicuum fit ex copia locorum longe uberrima, in quibus de sententia eius qui loquitur certi quidquam statui vix potest, vel etiam dubitare eum, num res vere sit vel esse eam minime credere non obscurum est, ut

Ag. 1296. εἰ δ' ἐτητύμως
μόρον τὸν αὑτῆς οἶσθα, πῶς θεηλάτου
βοὸς δίκην πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς;

incredibile sibi videri, eam quae caedem foedam certo imminentem provideat, tranquillo animo ei se offerre, evitare non conantem, indicat chorus cum eo ipso, quod ex Casandra quaerit, tum adiecto adverbio ἐτητύμως.

In Hipp. 1067. αἶ αἶ· πρὸς ἧπαρ δακρύων τ' ἐγγὺς τόδε,
εἰ δὴ κακός γε φαίνομαι δοκῶ τέ σοι.

exploratum quidem est Hippolyto, nefarium sese videri patri, nam ille in exsilium pergere eum iussit, sed adhibuerunt saepe Attici particulam conditionalem post verba affectum animi significantia, tamquam impetrare a se non possit subiectum, ut credat, quae vera esse rerum status monstrat.

Phil. 1235. ΟΔ. πρὸς θεῶν, πότερα δὴ κερτομῶν λέγεις τάδε;
ΝΕ. εἰ κερτόμησίς ἐστι τἀληθῆ λέγειν.

luce clarius est, Neoptolemum id quod ponit pro vero accipi minime velle, sed eo ipso, quod id fieri non possit, asseverare, falsam esse Ulixis opinionem.

Satis igitur iam demonstrasse mihi videor, quod sit loquentis iudicium, nihil referre, sed eam esse indicativi vim, ut, quidquid quis de veritate rei sentiat, pro vera eam ponat, ut alteram pari veritate ex illa consequi affirmet.

2. His constitutis patet, quinam modi indicativum in apodosi potissimum sequi debeant. Prae ceteris sequetur indicativus, quippe qui rei conclusae eandem veritatem esse contendat atque ei, unde concluditur. Neque minus locum sibi vindicant imperativus et coniunctivus adhortativus, nam postulant, ut altera res non minus certe fiat, quam altera sit. Illud vero commemoratum iam est, ex eo, quod obiective ponatur, posse etiam subiective aliquid colligi, quare ne optativus quidem ab apodosi secludendus est, neque qui iudicium modestius profert, neque qui est optantis. Illum adsciscere ἄν particulam non est quod moneamus. Sed ut constat, apud Homerum eam non ubique additam esse, ita ne a tragicorum quidem usu omissio eius prorsus aliena esse censenda erit. Sunt enim cum alia nudi optativi exempla*), tum in sententia ex conditione suspensa is consentiente librorum auctoritate sustentatur

in Phoen. 1207. καλὸν τὸ νικᾶν· εἰ δ' ἀμείνον' οἱ θεοὶ
γνώμην ἔχουσιν, εὐτυχὴς εἴην ἐγώ.

Reiicienda enim videtur Hermanni emendatio, pro εἴην scribi iubentis εἶν ἄν, quia formam ab ipso effictam exemplis non probavit, neque opus erit coniectura Nauckii εἴην ἔτ' ἄν, neque

---

*) Cf. W. Baeumlein, Untersuchungen über die griechischen Modi und die Partikeln κέν und ἄν. Heilbronn 1846, p. 303. s.

Kirchhoffii εὐτυχήσετ', οἶδ' ἐγώ, neque enim in libris ullum est depravatae scripturae indicium. In protasi indicativum defendo. Nam quamquam ἔχουσιν et ἔχοιεν pari fere codicum auctoritate nituntur atque etiam optimus codex, Marcianus, ad ἔχουσιν adscriptum habet ἔχοιεν, tamen dubium mihi non est, quin optativus illatus sit a librario, qui usitatam dicendi formam restituere sibi videretur. Optativus si a poeta scriptus esset, non fuisset, cur in indicativum mutaretur. Neque minus

in Ai. 921. ποῦ Τεῦκρος; ὡς ἀκμαῖος, εἰ βαίη, μόλοι,
πεπτῶτ' ἀδελφὸν τόνδε συγκαθαρμόσαι.

ubi in hypothesi est optativus, repudiandum existimo ἄν apodosi insertum a Porsone, qui invitis codicibus scripsit ἀκμαῖ' ἄν.

Quae causa esse videatur, cur ἄν interdum desit, ibi exponetur, ubi de nudo coniunctivo agetur.

3. Jam vero certa quaedam loquendi genera tractanda nobis sunt, in quibus oratio non est integra. Quae quamquam difficilia non sunt ad explicandum, tamen non indigna videntur quae memorentur, ut etiam in his tragicorum consuetudo observetur. Apud Homerum talia aut omnino non reperiuntur aut certe non multa, sunt enim magna ex parte dialogi propria.

Nonnumquam protasis verbum omittitur, cum aut ex antecedentibus aut ex apodosi facile eiusdem verbi forma assumatur.

Ac primum quidem in adiungenda sententia antecedenti contraria εἰ δὲ μή tam tritum est factum, ut etiam negativis sententiis opponatur, ut Trach. 587. Andr. 254. Rarius est εἰ δ' οὖν, quod bis tantum mihi occurrit, Ant. 722. Hipp. 510.

In alio quodam genere, quo quid in aliquem vel prae ceteris hominibus vel hoc potissimum tempore cadere praedicatur, verbum finitum, ne idem iterum ponatur, ex apodosi subintelligendum committitur. Talia sunt εἴ τις Soph. Trach. 8. O. C. 1664. fr. 85. — εἴπερ τις Ag. 934. — εἴ τις ἄλλος O. C. 488. Andr. 6. — εἴπερ τις ἄλλος O. R. 1117. — εἴπερ ποτέ Andr. 542. — εἴ που πάλαι Ag. 520. — εἰ μὴ νῦν Sptm. 101. Ubi additur, non idem verbum repetitur, sed affine quoddam, ut in Soph. fr. 188. modo dictum est ἔστι, modo γίνεται, in Phoen. 1597. modo forma transitiva ἔφυσας, modo intransitiva ἔφυ

usurpata. Sed quoniam in his enunciatio conditionalis nihil fere nisi adverbii vice fungitur altum quendam gradum significantis, fieri facile potuit, ut τὶς subiectum eius vocabuli, ad quod referendum est, formae per attractionem assimilaretur, ut Ai. 487. ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρός,
εἴπερ τινὸς σθένοντος ἐν πλούτῳ Φρυγῶν. cf. O. C. 733.

Adamavit Sophocles hanc dicendi formam ita, ut eam quibusdam locis adhibeat, ubi particulam conditionalem minime desideramus, Ai. 886. Phil. 1204.

Conferenda sunt etiam his duobus locis Eur. fr. 327. et Andr. 329. πλὴν εἴ τις et πλὴν εἴ τι. Sed ille non ab omni corruptela liber esse videtur, hic teste Kirchhoffio ex Menandro olim in margine adscriptus in textum irrepsit.

Usitata est porro omissio verbi finiti post εἰ μή, et indicativi in re facta, Ag. 1139. 1308. Soph. fr. 358. Eur. El. 938. Rhes. 17., et in re non facta Phil. 948. Med. 371. Cycl. 184., et coniunctivi Rhes. 117., et optativi Med. 125.

Ubi complures conditiones disiunguntur particulis εἴτε — εἴτε, εἰ — εἴτε, assumendus est saepe non solum indicativus, sed etiam coniunctivus vel optativus aut ad alteram hypothesis partem ex altera, aut ad utramque ex apodosi. Sed etiam singula vocabula sibi opponuntur componiturque εἴτε ex aequo cum ἤ Ai. 178. Hipp. 141.*)

Sunt quidam loci, in quibus conditio non ad rem ipsam pertineat, sed ad eius, in quem oratio conversa est, vel cognitionem vel animi affectum. Tum vero, si grammaticam rationem spectamus, apodosis efficienda est verbo λέγω vel simili, nam res ipsa ex conditione nulla pendet, ut

Ag. 1661. ὧδ' ἔχει λόγος γυναικός, εἴ τις ἀξιοῖ μαθεῖν.
Her. 171. κακῶς γὰρ 'Αργείοισιν οἵδ' ὡπλισμένοι
μάχοιντ' ἂν ἡβήσαντες, εἴ τι τοῦτό σε
ψυχὴν ἐπαίρει.

illud vero non additur, nisi simul alia adiiciantur, quae animo tantum suppleri non sinant postulentque ut enuntietur, ut

*) In tabulam infra appositam eas tantum enunciationes recipiendas duxi, in quibus conditionalis particulae vis non tota evanuit.

Ag. 1087. ΚΑ. ἄποι ποτ' ἤγαγές με; πρὸς ποίαν στέγην;
ΧΟ. πρὸς τὴν 'Ατρειδῶν· εἰ σὺ μὴ τόδ' ἐννοεῖς,
ἐγὼ λέγω σοι· καὶ τάδ' οὐκ ἐρεῖς ψύθη.

Simillimi his sunt ii loci, in quibus quis, num ea quae aut modo pronunciavit aut pronunciaturus est, vel dicere vel optare vel interrogare sibi liceat, dubitat idque indicat talibus: εἰ θέμις, εἰ χρή, εἰ χρεών, ut

Soph. El. 126. ὡς ὁ τάδε πορὼν
ὄλοιτ', εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν.

Sententia duobus tantum locis integra est, Soph. Trach. 809. fragm. 856. v. 14, in quibus latius explicatur, cur fas sit, talia optare vel dicere.

Reliqua utriusque generis exempla haec sunt: Aesch. Ag. 843. Prom. 835. Soph. Ant. 1259. O. R. 315. Ai. 816. fragm. 338. Eur. Med. 61. 574. J. T. 482. 611. 1256. Jon. 682. Tro. 242. Or. 1588. Cycl. 297. fr. 971.

Itemque saepe ad singula vocabula, quae rebus vel personis non vere convenire videntur, conditio additur, vim eorum restrictura, ut hic quoque suppleri possit: »dico hoc, utor hoc vocabulo«, velut

Ant. 1326. κέρδη παραινεῖς, εἴ τι κέρδος ἐν κακοῖς.

cf. Soph. El. 273. Trach. 26. Eur. Hec. 715. H. F. 41. Tro. 1159. Hel. 27. 951. Or. 17. 736. 1042. fr. 1058.

4. Venimus ad aliquam loquendi formam, quae cum ad rhetorum artificia prope accedat, aliena est ab simplicitate illa Aeschylei sermonis, eadem ne a Sophocle quidem recepta, apud Euripidem autem haud ita raro usurpata. Subiicitur enim quod ipsum pro conditione non est habendum simul cum altera re particulae conditionali, ut oppositum huic vim eius augeat.

Eur. El. 336. αἰσχρὸν γάρ, εἰ πατὴρ μὲν ἐξεῖλεν Φρύγας,
ὁ δ' ἄνδρ' ἕν' εἷς ὢν οὐ δυνήσεται κτανεῖν
νέος πεφυκὼς κἀξ ἀμείνονος πατρός.

planum est, Agamemnonis res gestas eum ad finem commemorari, ut Orestis culpa, si patris interfectorem, iuvenis cum sit et meliore ex patre natus, non interimat, magis etiam cognoscatur. Illa vero πατὴρ μὲν ἐξεῖλεν Φρύγας nisi coniuncta cum sequentibus ex particula conditionali suspensa esse non

possunt. Etiam in reliquis locis, El. 921. Her. 503. Hec. 309. 588. H. F. 1307. Hel. 484. enunciatorum idem ordo servatur, in solis H. F. 1307. et Cycl. 196. priorem locum obtinet enunciatum vere conditionale. Habent autem omnes hi loci id commune, ut res mala sit, cuius turpitudinem vel acerbitatem aliquis opposita altera re quam gravissimam describere velit.

5. Reliquum est, ut de uno loco videamus, in quo εἰ cum participio iunctum a codicibus traditur,

Eur. El. 537. "οὐκ ἔστιν, εἰ καὶ γῆν κασίγνητος μολών,
κερκίδος ὅτῳ γνοίης ἂν ἐξύφασμα σῆς,
ἐν ᾧ ποτ' αὐτὸν ἐξέκλεψα μὴ θανεῖν;

Legitur in uno apographo Parisino εἰ δ' ἔστιν εἰ καὶ, in altero εἰ δ' ἐστιν· εἰ καὶ suprascripto οὐκ super εἰ δ', in tertio οὐκ ἔστιν, εἰ καὶ, unde colligit Kirchhoffius, scriptum fuisse in archetypo εἰ δ' ἐστιν εἰ καὶ suprascripto οὐκ a correctore scilicet, suspicaturque, pro εἰ καὶ scribendum esse ἤδη, pro ὅτῳ ἔτ' οὐ. Ac possit εἰ δ' ἔστιν videri ex libris plus fere commendationis habere quam οὐκ ἔστιν, sed magis etiam εἰ καὶ et ὅτῳ illorum fide nituntur, qua de causa et quia accentus priori syllabae verbi ἔστιν appositus est, potius existimabimus scriptum fuisse οὐκ ἔστιν, εἰ καὶ. Sed ne sic quidem locus ab omni vitio vacuus est. Nam primum εἰ καί a sene dici vix potest, quippe qui ipse v. 517. Orestem clam rediisse coniecerit, ab Electra vero, perversa se sentire, identidem monitus sit. Summa autem difficultas est in participio μολών. Nam coniungitur quidem ad circumscribendas simplices verbi formas a poetis saepe cum participio verbum εἶναι et similia, velut πέλειν, γίγνεσθαι, apud tragicos vero participium aoristi nullum reperire me memini, ad quod additus sit indicativus praesentis verbi εἶναι, nullum quod pendeat ex coniunctione, nullum denique, in quo forma verbi εἶναι omissa sit. Quae cum ita sint, nolim poetae structuram tam insolitam obtrudere, ut scripsisse eum arbitrer εἰ μολών. In v. 556. si scriptum est: ὅδ' ἔσθ' ὁ σώσας, demonstrat articulus, participium adeptum esse vim nominis substantivi, eo enim quod olim servavit senex Orestem, etiam in posterum tempus servatoris nomen sibi paravit, verum μολών neque in substantivi neque in ad-

iectivi notionem accipi potest. Est autem haec fabula cum Helena et Hercule furente uno tantum codice fidei sublestioris necdum diligenter excusso eiusque apographis ad nos propagata. In illo vero librarii negligentia frequentius etiam quam fere fit tritissimae modorum structurae perversae sunt, velut, ut ex multis exemplis unum afferam, in Hel. 262. traditur λαβεῖν, adscripto γρ. λάβω, ubi sensus clamitat ἔλαβον. Quamobrem ne hoc quidem loco reiiciendus mihi videtur, qui ei optime convenit, optativus μόλοι a Musgravio propositus. Sed possit etiam aliquis similitudine illius loci adduci, ut scriptum fuisse arbitretur ἔμολεν, mutato κασίγνητος in κάσις γέ σου. Manet autem sic quoque offensio illa, quae est in καί particula. Erit igitur vitium depravatae scripturae altius repetendum, quod quocunque quis pacto sanare volet, improbandum certe erit participium ex εἰ suspensum.

De indicativo praeteriti in conditione non impleta.

1. Deinceps de altero genere indicativorum dicendum nobis est, quod quamvis diversum videatur ab eo, de quo modo egimus, tamen quam maxime affine ei est et originem ab eo duxit. Vidimus enim antea, indicativo in hypothesi nihil praedicari, credatne is qui loquitur rem vere esse necne; quid igitur obstat, quominus indicativo praeteriti etiam ea ponantur, quae quis facta non esse scit? Sin autem conditio ipsa non impleta est, sponte sequitur, ne id quidem, quod inde suspensum fuit, potuisse evenire. Possit igitur nudus indicativus in utroque membro positus sufficere videri ad rei non effectae significationem, et visus est interdum Graecis, ut nos quoque ita loquimur: Wenn Paris Helena nicht raubte, wurde Troia nicht zerstört. Sed sicut nos ea quae non sunt facta ab iis quae fuerunt plerumque diligenter distinguimus, coniunctivis temporum praeteritorum usi, ita etiam Graeci accurata quadam significatione illorum non carent. Ac retinent quidem in utroque membro indicativum, sed in apodosi iungere ei solent ἄν vel κέ particulam, quae cum animum vocet ad coniecturam faciendam de eo, quod fieri potuerit per causarum cohaeren-

tiam, declarat, ad eventum illud non esse perductum. Nam quid opus esset coniectura, si quis factam esse rem sciret? Est autem hic loquendi usus tam tritus tamque pervulgatus, ut simplex indicativus perraro reperiatur.

Apud Homerum nullum eius exemplum exstat, nam quod affert Baeumleinius (l. l. p. 136.)

Z 345. ὥς μ' ὄφελ' ἤματι τῷ, ὅτε με πρῶτον τέκε μήτηρ,
οἴχεσθαι προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης·
ἔνθα με κῦμ' ἀπόερσε, πάρος τάδε ἔργα γενέσθαι.

in eo enunciatio relativa ἔνθα με κῦμ' ἀπόερσε votum continuat non implendum ὡς ὄφελε.

Apud Aeschylum vero est unus locus, memoratu ante omnia dignus.

In Ag. 866. καὶ τραυμάτων μὲν εἰ τόσων ἐτύγχανεν
ἀνὴρ ὅδ', ὡς πρὸς οἶκον ὠχετεύετο
φάτις, τέτρωται δικτύου πλέον λέγειν.

habemus perfectum τέτρωται. Comprehendit igitur Clytaemnestra una cum actione eum statum, qui inde secuturus fuit et usque ad praesens tempus duraturus, illud vero negligit, praesentem esse Agamemnonem salvum atque incolumem. Singularis est hic perfecti usus, quo praesens rerum conditio spernitur. Sophocles et Euripides uti solent temporibus historicis, ut, cum res in solo tempore praeterito ponatur, ex comparatione cum praesenti rerum statu manifestum fiat, eam vere non fuisse. Sed etiam apud hos pauci tantummodo loci sunt, in quibus omissio particulae satis confirmata videatur. Ex enunciato conditionali per εἰ particulam inducto pendentem nudum indicativum uno tantum loco consentiente librorum auctoritate sustentatum reperi,

Phoen. 1563. δι' ὀδύνας ἔβας,
εἰ τὰ τέθριππά γ' ἐς ἅρματα λεύσσων
ἀελίου τάδε σώματα νεκρῶν
ὄμματος αὐγαῖς σαῖς ἐπενώμας.

In Tro. 398. καὶ ταῦτ' Ἀχαιῶν ἵξις ἐξεργάζεται·
εἰ δ' ἦσαν οἶκοι, χρηστὸς ἔλαθεν ἂν γεγώς.
Πάρις τ' ἔγημε τὴν Διός· γήμας δὲ μὴ
σιγώμενον τό κῦδος εἶχεν ἐν δόμοις.

ἔλαθεν ἂν γεγώς a melioribus libris perhibetur, γεγὼς ἐλάνθανεν vel ὢν ἐλάνθανεν a deterioribus. Etsi igitur ὢν ἐλάνθανεν sequente εἶχεν videri possit commendari, tamen librorum auctoritati plus tribuendum erit et scribendum ἔλαθεν ἂν γεγώς.

Exstat praeterea merus indicativus apud Euripidem bis Bacch. 1299. τὸν γέροντα δὲ
οὐδεὶς ὑβρίζειν ἤθελ' εἰσορῶν τὸ σὸν
κάρα· δίκην γὰρ ἀξίαν ἐλάμβανεν.

et Hel. 1659. πάλαι δ' ἀδελφὴν καὶ πρὶν ἐξεσώσαμεν,
ἐπείπερ ἡμᾶς Ζεὺς ἐποίησεν θεούς·
ἀλλ' ἥσσον' ἦμεν τοῦ πεπρωμένου θ' ἅμα
καὶ τῶν θεῶν, οἷς ταῦτ' ἔδοξεν ὧδ' ἔχειν.

Heathii coniecturam κἂν πρίν propterea quod ἄν particula non suo loco posita sit improbandam esse monuit Hermannus in adn. ad h. l.

Simillima loco illi ex Bacchis petito est ratio horum versuum Sophoclis

O. R. 1367. οὐκ οἶδ' ὅπως σε φῶ βεβουλεῦσθαι καλῶς.
κρείσσων γὰρ ἦσθα μηκέτ' ὢν ἢ ζῶν τυφλός.

Atque etiam in El. v. 1021. s. sic scribendum erit:
φεῦ·
εἴθ' ὤφελες τοιάδε τὴν γνώμην πατρὸς
θνῄσκοντος εἶναι· πάντα γὰρ κατειργάσω.

Praebent enim codices πάντα γὰρ ἄν, eraso ἄν in La. Quamquam igitur facilis est Dawesii coniectura, a Dindorfio recepta, πᾶν γὰρ ἄν, non minus verisimile est, ἄν a correctore esse adiectum, quam πᾶν in pluralis formam magis usitatam πάντα commutatum.

Eiusdem fabulae versui 913. s.
ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ μητρὸς οὔθ' ὁ νοῦς φιλεῖ
τοιαῦτα πράσσειν οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν.

ἄν minime est inferciendum. Concordant codices, nam etiam ἐλάνθᾱν̄ in La. sine dubio pro ἐλάνθανεν accipiendum est.

Hac paucitate locorum omissio ἄν particulae apud tragicos contineri videtur. Nam

in O. R. 1386. ἀλλ' εἰ τῆς ἀκουούσης ἔτ' ἦν
πηγῆς δι' ὤτων φραγμός, οὐκ ἂν ἐσχόμην
τὸ μἀποκλῇσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας.

plurimorum codicum scriptura ἀνεσχόμην ut dirimatur in ἂν ἐσχόμην sententia postulat, requiritur enim se abstinendi notio.

Alc. 913. δύο δ' ἀντὶ μιᾶς Ἅιδης ψυχὰς
τὰς πιστοτάτας σὺν ἂν ἔσχεν ὁμοῦ.

unus tantum liber manuscriptus deterioris notae exhibet γε συνέσχεν, Matthiaeo probatum, duo, quorum alter praestantior, συνανέσχεν, reliqui συνέσχεν. Praeferendum erit igitur σὺν ἂν ἔσχεν.

Hec. 1088. εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν
πύργους πεσόντας ᾖσμεν Ἑλλήνων δορί,
φόβον παρέσχ' ἂν οὐ μέσως ὅδε κτύπος.

in plerisque quidem libris legitur indicativus nudus παρέσχεν, sed non contemnenda erit optimi, Marciani, et eius qui proxime ad illum accedit, Vaticani, auctoritas, in quibus ἄν particula adiuncta scriptum est παρέσχεν ἄν. Et licet recte moneat Elmsleius (ad Med. p. 150. p.), adstipulantibus Hermanno (ad Soph. El. 902.) et Reisigio (de ἄν part. p. 138.), nihil apud Atticos poetas rarius vocali ε ante particulam ἄν elisa, in Jonis saltem v. 366. εἶχ' ἄν a nemine, quod sciam, impugnatum est. Attulit hunc locum Matthiae (ad Alc. 923.) contra Hermannum. Sed eam ipsam ob causam, quod elisio illa tam rara est, (quamquam ne plenae quidem formae in — εν terminatae, quam insequatur ἄν, opera dedita plura exempla reperi, quam duo a Matthiaeo l. l. commemorata Hel. 1011. ἀπέδωκεν ἄν et Or. 495. ἔλαβεν ἄν, et illud ante tractatum Tro. 399. ἔλαθεν ἂν γεγώς,) fieri facillime potuit, ut, si quando adhibita esset, a librario terminatio plena perscriberetur. Qua illata ἄν particula, repugnare cum videretur metro, eiecta est. Quare poetam, quod Porso coniecit, παρέσχ' ἄν dedisse crediderim.

His locis cum praestet ἄν particulam ex nonnullis saltem libris iisque non deterrimis excipere, alii perperam huc referuntur. Apud Sophoclem

in Ai. 183. οὔ ποτε γὰρ φρενόθεν γ' ἐπ' ἀριστερά,
παῖ Τελαμῶνος, ἔβας
τόσσον ἐν ποίμναις πίτνων.

non est cur in φρενόθεν conditionem hanc inesse censeamus »si tuae mentis fuisses«, nam re vera ad insana Aiax se con-

vertit, trucidatis pecoribus, asseverat igitur chorus, eum, cum ita ageret, mentis certe non fuisse compotem.

In Eur. Suppl. 700. καὶ μὴν τὰ Θησέως γ' οὐκ ὄκνῳ διεφθάρη,
ἀλλ' ἵετ' εὐθὺς λάμπρ' ἀναρπάσας ὅπλα.

Baeumleinius (l. l. p. 138.) omissionem ἄν particulae rhetoricam appellat, ego vero quomodo addi potuerit non intelligo. Sed etiam Phoen. 1347.

ΚΡ. ὦ δώματ' εἰσηκούσατ' Οἰδίπου τάδε;
ΧΟ. ὥστ' ἐκδακρῦσαί γ', εἰ φρονοῦντ' ἐτύγχανεν.

quamquam in re non facta, opus non est ἄν part. Nam in optimo codice et tribus aliis scriptum perhibetur ὥστε δακρύσαι vel ὥστε δακρῦσαι, in uno super ε superscripto κ, in ceteris ὥστ' ἐκδακρῦσαι. Addidit Kirchhoffius de suo ἄν part., et secutus est eum Nauckius. Sed ea minime desideratur. Nam plena oratione dicendum fuit: εἰ φρονοῦντ' ἐτύγχανεν, ἤκουσεν ἄν, ὥστ' ἐκδακρῦσαι, omisso autem verbo regente illa simul excidit. Metrico vitio non minus apte medebimur retento, quod in quibusdam codicibus est, verbo ἐκδακρῦσαι, quod significantius etiam dictum est quam verbum simplex. In re futura vide ὥστ' ἐκδακρῦσαί γ' Or. 1122.

2. Sunt autem certa quaedam verba, quae ἄν part. non asciscunt, dico ea, quae debuisse aliquid fieri vel licuisse significant. Nam etsi actio infinitivo expressa non est effecta, ut ex eo sequitur, quod quis etiamnunc reputat, fieri eam debuisse, ipsum illud debere vere fuit. Reperiuntur in apodosi enunciati conditionalis haec:

χρῆν Soph. El. 529. 579. Eur. Med. 583. El. 1042. Hipp. 614. Hec. 1196. H. F. 210. Jon. 850. fragm. 406. 459. ἔδει Hec. 1167. ὤφελε Cycl. 184. δίκαιον ἦν Aesch. Suppl. 244. εἰκὸς ἦν O. R. 255.

Sed etiam eorum, quae non sunt hypothetice dicta, nonnulla adscribam, ut quam late pateat hic usus cernatur. Cognata iis, quae modo commemoravimus, sunt haec:
Her. 680. πρὸς σοῦ ἦν. J. A. 1201. ἐν ἴσῳ γὰρ ἦν τόδ'. Sed etiam Eur. Suppl. 512. ἐξαρκέσας ἦν Ζεὺς ὁ τιμωρούμενος,
ὑμᾶς δ' ὑβρίζειν οὐκ ἐχρῆν τοιάνδ' ὕβριν.

indicativus ἐξαρκέσας ἦν idem spectat quod ἐχρῆν, satis magna erat Jovis potentia, eique permittere ultionem debebatis.

Med. 1170. ἤδη δ' ἀνέλκων κῶλον ἕκπλεθρον δρόμου
ταχὺς βαδιστὴς τερμόνων ἀνθήπτετο.

tempus, per quod Glaucen animus reliquit, describitur comparatione spatii, quod cursori opus est ad assequendos stadii terminos. Itaque ἀνθήπτετο in eandem sententiam dictum est atque »licebat assequi«, sc. per temporis spatium.

Quaedam verba possunt varie accipi, aut pro iis, quae fieri debebant, aut quae bona vel honesta vel utilia fuissent, facta si essent. Prout hoc aut illud reputas, iungenda est indicativo ἄν particula aut omittenda. Talia sunt apud Homerum: ἐπεὶ τόδε κέρδιον ἦεν υ 331. ἦ ἄρ τι τόδ' ἀμφοτέροισιν ἄρειον ἔπλετο Τ 56., contra καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν Γ 41. ἦ τ' ἂν πολὺ κέρδιον ἦεν Ε 201. Χ 103. ι 228. Ita apud Euripidem in Med. 488. συγγνωστὸν ἦν praestantiorum codicum fide stabilitum excipiemus, in El. vero v. 1026. a corrupta librorum scriptura quam minime fieri potest recedentes σύγγνωστά νιν in συγγνώστ' ἂν ἦν potius commutabimus, quam in συγγνωστὸν ἦν.

3. Apud Homerum ubique et imperfectum et aoristus ad res praeteritas pertinent, eo tantum discrimine, ut imperfectum statum aliquem vel actionem per quoddam tempus durantem significet, aoristus id solum spectet, praeteriisse actionem, de spatio quod amplexa sit nil indicans. Sicubi imperfectum de rebus usque ad praesens tempus permanentibus dictum est, tempus praeteritum simul comprehendit, ut.

Ε 897. εἰ δέ τευ ἐξ ἄλλου γε θεῶν γένευ ὧδ' ἀΐδηλος,
καί κεν δὴ πάλαι ἦσθα ἐνέρτερος Οὐρανιώνων.

esses inferior coelestibus et iam diu factus esses. Cf. πάλαι τ 282. δηρόν Ε 885. (Lilie l. l. p. 17.) Ab hoc initio ortum esse videtur, quod apud posteros saepissime fit, ut imperfectum ad solum tempus praesens referatur. Aoristus num ita dicatur video dubitationem esse. Neque videtur is apud tragicos in utroque membro ullo loco sic accipiendus esse, neque magis in apodosi antecedente aoristo, neque in protasi sequente imperfecto, nisi ad alterum genus refers Hipp. 652., ad tertium Or. 1132. In aoristo ἔφυν, Ant. 905. Phoen. 500., quem nos solemus praesenti parem habere, Graeci temporis praeteriti vim non minus intelligebant, quam in ἔβλαστεν Soph. El. 440. Ubi vero in hypothesi est imperfectum, in apodosi aoristus, is

non omnibus locis de tempore praeterito accipi poterit. Evincit hoc prae ceteris hic locus Euripidis

Alc. 368. εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,
ὥστ' ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντά σ' ἐξ Ἅιδου λαβεῖν,
κατῆλθον ἄν.

Nondum emortua est Alcestis, ergo Adrastus, etiamsi Orphei voce et arte praeditus esset, descendere ad inferos non iam potuisset, in lucem eam reducturus.

Eundem in modum intelligendum censeo aoristum in Aesch. Suppl. 288. Soph. Ant. 755. O. R. 402. 1386. O. C. 905. 1348. Eur. Alc. 749. Med. 1340. Hipp. 1019. 1039. H. F. 232. 434. 654. Hel. 75. 1623. Phoen. 1563. J. A. 1213. Quamquam de multis locis difficile est certi quidquam statuere.

Est igitur indicativi vis temporalis, quam apud Homerum valentem adhuc vidimus, paullatim obliterata, primum in imperfecto, deinde in aoristo, imprimis iis locis, ubi pendet ex imperfecto, relicta sola illa ratione, quae inter veritatem rei et cogitationem subiecti intercedit, et differentia inter utrumque indicativum, quae oritur ex temporis spatio, quod actio comprehendit. Idem in coniunctivis et optativis praesentis et aoristi iam multo ante factum esse nemo ignorat.

Plusquamperfectum duobus locis, Eur. El. 1041. εἰ ἥρπαστο, et O. R. 984. ἐξείρητο ἄν, propria ac sua notione de actione ante alteram perfecta dictum est, reliquis locis habet imperfecti vim, sive deducitur a perfecto praesentis vi induto, Trach. 87. Andr. 660. Hec. 1089. Bacch. 252., sive compositum est ex participio perfecti et imperfecto verbi εἶναι, Ag. 869. O. R. 262. Alc. 124.

4. Perraro alterum periodi conditionalis membrum non incolumem suam formam habet.

Omissum in altero membro verbum finitum tribus tantum locis est,

H. F. 1237. ΘΗ. ὁ πολλὰ δὴ τλὰς Ἡρακλῆς λέγει τάδε;
ΗΠ. οὐκ ἂν τοσαῦτά γ', εἰ μέτρῳ μοχθητέον.

et Phil. 948. Ag. 1199., in quibus non difficile est ad intelligendum ex iis, quae proxime antecedunt.

Deest apodosis ex orationis argumento supplenda nusquam nisi in stichomythia vel cantico amoebaeo, ubi crebris interrogandi et respondendi vicibus concisa quodammodo oratio est et inutilem verborum copiam repudiat, velut

O. C. 643. ΘΗ. τί δῆτα χρῄζεις; ἦ δόμους στείχειν ἐμούς;
ΟΙ. εἴ μοι θέμις γ' ἦν.

sc. ἔχρῃζον ἄν. cf. J. T. 847. Jon. 965. Or. 1521.

Verum Ant. 460. θανουμένη γὰρ ἐξῄδη, τί δ' οὔ;
κεἰ μὴ σὺ προὐκήρυξας.

manifestum est, in ellipticis illis: τί δ' οὔ; inesse: Quidni scirem?

Sptm. 1012. οὕτω μὲν ἀμφὶ τοῦδ' ἐπέσταλται λέγειν·
τούτου δ' ἀδελφὸν τόνδε Πολυνείκους νεκρὸν
ἔξω βαλεῖν ἄθαπτον, ἁρπαγὴν κυσίν,
ὡς ὄντ' ἀναστατῆρα Καδμείων χθονός,
εἰ μὴ θεῶν τις ἐμποδὼν ἔστη δορὶ
τῷ τοῦδ'.

potuit Polynicem Eteocles Thebanae terrae eversorem appellare, cum ille conatus esset arma ei inferre, sed quoniam ei non contigit, ut urbem deleret, nimium aliquid est in voce ἀναστατῆρα, quod ut tollat addit: nisi numine aliquo divino prohibitus esset, tacite eversoris notionem animo ita minuens, ut intelligat, quantum in ipso quidem situm fuerit, fuisse eum terram eversurum.

Ad evitandam molestam eiusdem verbi repetitionem in unam sententiam cum sequentibus conflata est apodosis

Hel. 1104. εἰ δ' ἦσθα μετρία, τἄλλα γ' ἡδίστη θεῶν
πέφυκας ἀνθρώποισιν· οὐκ ἄλλως λέγω.

Plene dicendum fuit: εἰ δ' ἦσθα μετρία, ἡδίστη ἂν θεῶν ἔφυς· τἄλλα γὰρ πέφυκας. Plane congruens huic est alter locus Euripidis, Andr. 714.

Aliter quam instituta est oratio continuatur

Hipp. 961. κακὴν ἄρ' αὐτὴν ἔμπορον βίου λέγεις,
εἰ δυσμενείᾳ σῇ τὰ φίλτατ' ὤλεσεν.

aut ex Hippolyti sententia, qualem esse ei pater sumit, ὤλεσεν fuit suspensum faciendum ex aliquo verbo sentiendi, aut si pater ipse quid sentiret praedicaturus fuit, antea dicendum: κακὴ ἄρ' ἦν ἂν ἔμπορος βίου.

5. Nisi per ellipsin vel per mutationem structurae neque futuri nec praesentis indicativum in apodosi adhiberi potuisse sponte patet. Efficitur enim conditionis non impletae significatio eo ipso, quod ea in tempore praeterito collocatur, necesse est igitur etiam id, quod totum ex ea pendet quodque non impleta illa ipsum ad effectum adduci non potuit, in eodem tempore ponatur.

Non huc pertinet, sed in iis, de quibus priore loco egimus, habendus est indicativus
in H. F. 594. μέλει μὲν οὐδέν, εἴ με πᾶσ' εἶδεν πόλις.
Suspicatus est Amphitruo, visum esse Herculem, cum adveniret in urbem, monetque, ut malorum civium insidias vitet. Ille vero animo et robore confidens respondet, nihil curare sese, etiamsi verum sit, quod pater coniiciat, visum se esse civibus. Sed quod vere de singulis quibusdam dicere potuit, pro confidentia sua ita auget, ut adhibita hyperbole figura ad totam urbem transferat. Nam nunc ubi vivos suos, quamvis calamitate afflictos, reperit, nihil iam extimescit, quamquam signo quodam divino monitus eam cautionem adhibuit, ut clam in terram introierit.

Optativus ad veritatem omnino non spectat, sed rem totam cogitatione contineri vult. Quare eo etiam ex iis, quae quis facta esse quamvis repugnante vero rerum statu sumpsit, conclusionem facere licet. Atque Homerus quidem, apud quem tempora historica in solis rebus vere praeteritis versantur, carere optativo omnino non poterat, si res conclusa ad praesentiam pertineret*), neque magis si utrumque membrum**). Ut vero ille optativum retenta temporis praeteriti notione etiam in iis ponit, in quibus praeteriti indicativus ei praesto fuit***), ita Euripides opt. c. ἄν in rebus praesentibus adhibet, quamquam temporum praeteritorum usus apud eum in has extentus est, Suppl. 768. J. T. 433. Tro. 1231. Bacch. 1330. Aeschylus et Sophocles eo abstinuerunt.

---

*) Β 80. Ω 220. α 237. (Lilie l. l. p. 18.)
**) Ι 515. Ν 485. Ψ 274. ε 206. ρ 313. (ibdm. p. 34.)
***) Ε 312. 389. Ρ 70. (ibdm. p. 18.)

Soph. El. 797. πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος τυχεῖν,
εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς.

mutandum quidem nihil censeo de librorum scriptura, reiectis coniecturis eorum, qui aut optativum in indicativum imperfecti, aut indicativum in optativum commutarunt, sed refero ἔπαυσας in indicativis superioris generis. Accipit enim Clytaemnestra id quod ipsa Electra dixit: πεπαύμεθ' ἡμεῖς, οὐχ ὅπως σε παύσομεν, quamquam non obscura dubitatione.

6. Ut praesentis indicativus et futuri tempora praeterita in conditione non impleta posita non sequuntur, ita horum temporum indicativus cum ἄν constructus illos excipere nequit. Verum χρῆν apud Euripidem quater sequitur praesens, Alc. 719. Hipp. 297. 509. H. F. 707., semel futurum, Hipp. 461., semel ὤφειλε praesens, fr. 892., neque est quidquam offensionis in his, nam debebat re vera fieri res, etiamsi ad effectum non est adducta. Etiam

Hec. 779. τύμβου δ', εἰ κτανεῖν ἐβούλετο,
οὐκ ἠξίωσεν, ἀλλ' ἀφῆκε πόντιον.

integra sententia esset haec: sepulcro certe, si occidere eum volebat, dignari debebat (χρῆν), sed ne hoc quidem dignum duxit.

Uno loco apud Euripidem futuri indicativum sequitur imperf. c. ἄν,

Or. 559. εἰ γὰρ γυναῖκες εἰς τόδ' ἥξουσιν θράσους,
ἄνδρας φονεύειν, καταφυγὰς ποιούμεναι
εἰς τέκνα, μαστοῖς τὸν ἔλεον θηρώμεναι,
παρ' οὐδὲν αὐταῖς ἦν ἂν ὀλλύναι πόσεις
ἐπίκλημ' ἐχούσαις ὅ τι τύχοι.

sed habet id peculiarem aliquam explanationem ex rerum, de quibus agitur, natura. Occidit Clytaemnestra maritum, non quidem ea exspectatione, ut impunitatem sibi pararet invocata misericordia filii, verum si eam adepta esset, periculum fuisset, ne aliae mulieres sperantes fore ut sibi quoque liberi sui ignoscerent facile adducerentur ad maritos trucidandos, quidquid iis crimini darent. Cum de his cogitaret Orestes, aptum fuit futurum, nam Clytaemnestra ex numero earum excipienda fuit. Sed quoniam occisa illa reliquarum spes simul irrita reddita est, in sequentibus de proclivitate illa mulierum maritos inter-

ficiendi loquitur ut de ea, quae una cum Clytaemnestrae caede ex animis earum radicitus sit excussa. In hanc cogitationem delapsum eum esse demonstrant quae statim adiungit: δράσας δ' ἐγὼ δεῖν', ὡς σὺ κομπεῖς, τόνδ' ἔπαυσα τὸν νόμον.

De coniunctivo.

1. Coniunctivi, quem ea quae pro rerum conditione fieri possunt significare statuimus, duo genera distinguenda sunt. Ponitur enim aut de eo, quod evenire posse futuro tempore videtur, aut de eo, quod fieri solet, quodque si nunc fit certe aliis quoque temporibus accidere potest.

2. Ad vim eius altius pernoscendam haud inutile erit in comparationem cum eo vocare indicativum futuri, nam discrimine eorum diligenter constituto non poterit non evadere clarior atque distinctior utriusque notio. De quo discrimine non recte iudicat Reisigius (l. l. p. 106.): »Cum ἢν ἔχῃς in utramque partem dicatur, ut per rei naturam pariter possit esse atque non esse, — εἰ ἕξεις cum iudicio (sc. coniunctum est) ἕξεις: si habebis, verisimile est enim te habere. Enimvero observanda est apodosis nonnumquam, quae ad negandum iudicium valeat: ut apud Platonem: εἰ εὑρήσομεν αὐτό, θαυμάζοιμ' ἄν: id est, si inveniemus, sed non est verisimile, nos inventuros.« Nam indicativi futuri potestas si re vera in eo posita esset, ut verisimile esse aliquid declararetur, non posset apodosis eam vim habere, ut efficeret notionem prorsus contrariam. Sumi autem illo etiam ea, quae minime verisimilia sint, cum alii loci probant, tum maxime

Jon. v. 456. εἰ δ'· οὐ γὰρ ἔσται, τῷ λόγῳ δὲ χρήσομαι·
δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων κτλ.

Quare rectius iudicabimus, si remota verisimilitudinis notione in eo perstamus, quod in universum de indicativo statuimus et in quo consentimus cum Kruegero (gr. gr. I. § 54. 9.) et Matthiaeo (gr. gr. § 508. 4. a.), nihil interesse, quid subiectum de veritate rei iudicet, sed sumi eam vere esse vel fuisse vel futuram esse, ut altera certa ratione inde concludatur. Num vero ulla verisimilitudo est, quae non ex rerum natura duca-

tur? Nonne igitur rectius verisimilia coniunctivo comprehendemus? Quo cum in universum ea significari velimus, quae per rerum conditionem fieri possunt, cur excipiamus ea, quibus efficiendis illa tam opportuna videtur, ut oriatur illud verisimilitudinis? Nec circumscripsit vir doctissimus illius notionem tam angustis finibus, ut de his intelligi nequeat. Dicit enim (l. l. p. 105.): »Coniunctivus aliquid per rerum necessitudinem fieri posse ita significat, ut haec notio a loquentis opinione aut iudicio penitus sit remota, et in medio relinquatur, quantum quisque velit in alterutram partem propensus esse, utrum faciliusne fieri an non fieri iudicet: absolutam possibilitatem obiectivam. Ita manet ab loquentis sensu intacta veritas, et sua cuique integra sententia, oratione animum in neutram partem deflectente. Atque id causae est, cur nequeat coniunctivus in libera enuntiatione poni, qua videlicet semper aliquid de animo loquentis declaratur.« Etiamsi igitur orationis forma non indicat, quantum in alterutram partem inclinet, certe sententia loquentis de aliis rebus alia erit, ut modo minus facile fieri posse eas credat, modo facilius, i. e. ut plus minusve probabilitatis vel verisimilitudinis iis tribuat.

Quae cum ita sint, differentiam inter duas illas structuras, de quibus agimus, hanc esse censebimus, ut per indicativum futuri ratio potissimum spectetur, quae inter duo membra intercedit, coniunctivo probabilitas, quam habet res sumpta ex rerum conditione, discrimine inter diversos eius gradus non facto.

Itaque εἰ c. ind. fut. locum suum obtinet, si quis praemium vel poenam actioni alicui proponit, velut

Sptm. 196. κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται,
ἀνὴρ γυνή τε χὤ τι τῶν μεταίχμιον,
ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται,
λευστῆρα δήμου δ' οὔ τι μὴ φύγῃ μόρον.

nam accidere posse, ut aliquis dicto non sit audiens, minoris momenti est, quam illud, si minus pareat, supplicium ei certum imminere.

Neque minus adhibendus est indicativus, ubi quod quis modo professus est conditione aliqua restringitur, qua non impleta non valeat, ut

Jon. 660. καλῶς ἔλεξας, εἴπερ οὓς ἐγὼ φιλῶ
ἐν τοῖσι σοῖσιν εὐτυχήσουσιν λόγοις.

non fuit orationis pondus in eo ponendum, quod fieri potest, ut Xuthus beate vivat, si Jon, ut cupit, Delphis remaneat, deo ministraturus, sed in hoc, si quidem re vera Xuthus manente illo beatus futurus sit, probari choro ea, quae ab Jone dicta sint.

Imperativus vero saepe pendet ex coniunctivo (sex et triginta locis), perraro ex futuri indicativo (octo locis). Quis enim imperet, quod non arbitretur perfici posse? Itaque si ex conditione aptum est mandatum, ante omnia considerandum est, num ea impleri possit.

Indicativus futuri primum de iis ponitur, quae futura esse iam nunc constat.

O. C. 1205. ἔστω δ' οὖν ὅπως ὑμῖν φίλον.
μόνον, ξέν', εἴπερ κεῖνος ὧδ' ἐλεύσεται,
μηδεὶς κρατείτω τῆς ἐμῆς ψυχῆς ποτέ.

modo Oedipus suadente Theseo et rogante Antigone permisit, ut Polynices secum colloquatur, quod cum ille vehementer appetat, adventurum eum esse pro comperto habet.

Itemque Cho. 683. εἴτ' οὖν κομίζειν δόξα νικήσει φίλων,
εἴτ' οὖν μέτοικον, ἐς τὸ πᾶν ἀεὶ ξένον,
θάπτειν, ἐφετμὰς τάσδε πόρθμευσον πάλιν.

non dubium est, quin aliquid Clytaemnestra de sepeliendo Oreste, quem mortuum esse ille ipse matrem decepturus ficto Strophii mandato nunciat, constitutura sit, quare aptus est indicativus futuri, quo significetur: quidquid mandabit, at certe aliquid mandabit.

Sed adhibendus est ind. fut. etiam in iis, in quibus non futura rerum conditio respicitur, sed perficiendae actionis voluntas, quae alteri iam nunc est. Latine eiusmodi futura vertenda erunt per coniugationem quam dicunt perephrasticam, ut

Ag. 1059. σὺ δ' εἴ τι δράσεις τῶνδε, μὴ σχολὴν τίθει.

cf. Trach. 305. O. C. 1181. J. A. 816. Similem in modum accipienda sunt haec

J. A. 995. εἰ δ' οὐ παρούσης ταὐτὰ τεύξομαι σέθεν,
μενέτω κατ' οἴκους.

si paratus es, etiam absente illa eadem mihi concedere, maneat filia mea in aedibus.

J. T. 1009. χρῆσαι κακοῖσι τοῖς ἐμοῖς, εἰ κερδανεῖς.
utare malis meis, si consilium tuum id est, cui emolumentum allatura sint.

Possit igitur etiam

O. C. 166. λόγον εἴ τιν' ἔχεις
πρὸς ἐμὰν λέσχαν, ἀβάτων ἀποβάς,
ἵνα πᾶσι νόμος,
φώνει· πρόσθεν δ' ἀπερύκου.

ubi metrum pro eo quod in libris est, ἔχεις, duas syllabas longas requirit, οἴσεις defendi, in La. super ἔχεις suprascriptum, sed praeferenda erit Reisigii emendatio, auctiorem formam ἴσχεις restituentis, haud raram illam apud Sophoclem, cf. Ant. 66. Ai. 255. 1269. Trach. 801. Phil. 734. 837. 853.

Jam vero videamus quid statuendum sit de nonnullis locis Euripidis, in quibus librorum scriptura aut corruptelae vestigia prae se fert aut editoribus certe corrupta esse visa est.

Ac primum quidem in J. A. v. 509 s., qui in codicibus sic perhibentur:

ΜΕ. πῶς; τίς δ' ἀναγκάσει σε τήν γε σὴν κτανεῖν;
ΑΓ. ἅπας 'Αχαιῶν σύλλογος στατεύματος.
ΜΕ. οὔκ, ἤν νιν εἰς ῎Αργος γ' ἀποστελεῖς πάλιν.

non dubitabimus recipere coniunctivum ἀποστείλῃς a Marklando propositum et commendatum iis, quae sequuntur v. 515. οὔκ, ἢν θάνῃ γε πρόσθε.

Or. 1147. μὴ γὰρ οὖν ζῴην ἔτι,
εἰ μὴ 'π' ἐκείνῃ φάσγανον σπάσω μέλαν.

sententia mea discrepat a Kirchhoffio, cui legendum videtur: ἢν μὴ 'π' ἐκείνῃ φάσγανον σπασώμεθα, idem Nauckio probatum. At librorum auctoritate haec coniectura nititur minima et paene nulla, ii enim omnes habent εἰ μή et σπάσω μέλαν, nisi quod in uno bono codice, Vaticano, est σπασόμεθα omisso μέλαν. Offensi esse videntur viri illi docti epitheto μέλαν. Sed in hoc nihil est quo laedamur, legitur enim etiam Hel. 1657 et Or. 1473. μέλαν ξίφος, Phoen. 1098. et Or. 813. μελάνδετον ξίφος, quibuscum conferas κελαινός adiectivum in Ai. 231. Trach. 856. Bacch. 618. Etiamsi igitur scribere velis coniunctivum, tamen

retinendum erit μέλαν. Illum vero ne credas defendi eo, quod solet antecedere imperativum. Nam optativo Pylades id significat, nisi destringat gladium, dignum se non esse, qui diutius lucem aspiciat, neque vero ut supplicium sibi imponatur postulat. Sustentatur indicativus etiam altero loco huic simillimo, Suppl. 456, in quo praesentis quidem indicativus est, sed is quoque ad futurum tempus pertinens.

J. A. 1172. ἄγ', ἢν στρατεύσῃ καταλιπών μ' ἐν δώμασιν
κἀκεῖ γενήσῃ διὰ μακρᾶς ἀπουσίας,
τίν' ἐν δόμοις με καρδίαν ἕξειν δοκεῖς,
ὅταν θρόνους τῆσδ' εἰσίδω πάντας κενούς,
κενοὺς δὲ παρθενῶνας;

Hermannus (adn. ad. h. l.) librorum scripturam, quam adscripsi, sic defendit: »Particulae, quae sunt cum ἄν compositae, dum in priore membro modum habeant eum, quem ἄν requirit, in altero eum possunt modum adiunctum habere, qui adhibendus est non posito ἄν. Ita hic, postquam dictum est ἢν στρατεύσῃ, quoniam illud ἤν ex εἰ et ἄν conflatum est, recte infertur εἰ γενήσει, non id iam ex ἤν, sed ex εἰ pendens.« Quod quamvis fieri potuisse non prorsus negaverim, tamen in hunc locum quadrare mihi non videtur. Affert ille locum ex Herodoto petitum, III. 69. ἢν γὰρ δὴ μὴ τυγχάνῃ τὰ ὦτα ἔχων, ἐπίλαμπτος δὲ ἀφάσσουσα ἔσται, εὖ εἰδέναι ὡς αἰστώσει μιν. in quo constructionis mutatae haud improbabilem causam esse aliquis concedat. Nam etiamsi ad priora aptissimus est coniunctivus, quia suspicio est, Smerdem auribus privatum esse, in iis quae sequuntur illud gravius videtur, contrectationem, quam ille sentiat, necessario caedem pertrectantis esse secuturam. Nititur igitur conclusio potissimum altera sententia conditionali, prior, si membrorum rationem accurate significare voluisset scriptor, non ex aequo cum illa componenda fuisset, sed reliquis subiungenda, omisso δέ et repetito εἰ. At in Euripidis loco duae illae protasis partes aequa ratione cum apodosi coniunctae sunt. Et licet Clytaemnestra imprimis de diuturna Agamemnonis absentia cogitet, tamen in ipsa profectione mariti prima causa erit solitudinis eius, capietque haec simul cum illa initium. In hunc igitur locum non satis graves causae sunt cur diversam cogitandi rationem inferamus, neque repugnat Her-

mannus, si quis futurum bis ponere malit, addit enim: »Quare, etsi nolo contendere non scripsisse Euripidem εἰ στρατεύσει, tamen non necessario mutanda visa est librorum scriptura.« Quod attinet ad futuri terminationem, in Euripidis tragoediis a Kirchhoffio -ει nusquam receptum inveni, videturque is in terminatione pers. sec. praes. et fut. pass. et med., exceptis paucis illis, in quibus -ει solum in usu Atticorum est, ubique -ῃ scripsisse, secutus, ut ipse (praef. p. XIII.) testatur, potius librorum auctoritatem, quam recentiorum placita non nimis certa. Quodsi hic quoque scriptae fuerunt futuri formae στρατεύσῃ et γενήσῃ, facile a librario quodam minus cauto pro coniunctivis haberi poterant ideoque εἰ particula in ἢν commutari. At fortasse ne εἰ quidem legebatur, sed οὖν, ad cuius similitudinem ἢν propius etiam accedit, ut indicativus absolute positus sit, ex coniunctione nulla suspensus. Quae dicendi forma cum aliis locis reperitur, tum v. 1186. in eodem hoc sermone Clytaemnestrae iterum legitur. Suppeditavit hanc emendationem Haase, v. ill., nuper mihi, cum de eadem hac re agerem, et amplector eam libenter.

In eisdm. fab. 1015. ἱκέτευ' ἐκεῖνον πρῶτα μὴ κτείνειν τέκνα·
ἢν δ' ἀντιβαίνῃ, πρὸς ἐμέ σοι πορευτέον.
εἰ γὰρ τὸ χρῇζον ἐπίθετ', οὐ τοὐμὸν χρεὼν
χωρεῖν· ἔχει γὰρ τοῦτο τὴν σωτηρίαν.

prorsus insolito modo indicativus aoristi in re futura ponitur. Itaque si quis minus cum Dindorfio et Nauckio v. 1017—1023. spurios ducere vult, cum Hermanno restituenda ei erit futuri forma πείσετ', i. e. πείσετε.

3. Atque haec quidem de futura coniunctivi notione et de discrimine eius et indicativi futuri; pergamus ad ea, quae pro rerum natura saepe accidere possunt. In quibus illud monendum est, numquam coniunctivum de sola re praesenti accipiendum, sed semper id intelligendum esse, posse idem quod in praesenti vere sit etiam aliis temporibus iterari. Egregie hoc probat

Ai. 14. ὦ φθέγμ' Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς ὅμως,
φώνημ' ἀκούω καὶ ξυναρπάζω φρενί,
χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.

nam poetam hoc intelligi velle, vocem deae Ulixem non modo

nunc, sed quotiescunque illa eum alloquatur, quamvis in conspectum sese non det, agnoscere, demonstrant haec: καὶ νῦν ἐπέγνως εὖ, v. 18. Cf. Med. 1351. Hel. 1638.

4. Harum sententiarum in apodosi longe praevalet indicativus praesentis, neque paucis locis exhibetur aoristus, quem dicunt gnomicum, natura sua ad hoc genus apprime accommodatus. Semel reperitur perfectum, γέγραπται, Eur. fr. 379. de statu absolutione actionis effecto, semel imperfectum, ἦν ἄρ', Eur. fr. 736. de eo, quod in universum valere aliquis nunc demum cognovit.

Eos vero coniunctivos, qui ad tempus futurum pertinent, sequi solet indicativus futuri nec non praesentis. Potest enim de iis rebus, quas futuras esse providemus vel quas fieri aliquando volumus, iudicium nostrum vel consilium constare, licet ipsae non iam sint, suntque eorum verborum, quae voluntatem hominis significant vel necessitudinem aliquam, qualia sunt θέλω, ἀξιόω, ἐφίεμαι, ὑφίσταμαι, δεῖ, χρή, ἀνάγκη sc. ἐστί, praesentia creberrima. Et usurpatur praesens etiam de eo, quod vere iam nunc est, sed quod amplius aliquod temporis spatium amplectitur, ut futurum tempus simul comprehendat, ut Prom. 769. ΙΩ. οὐδ' ἔστιν αὐτῷ τῆσδ' ἀποστροφὴ τύχης;
ΠΡ. οὐ δῆτα, πλὴν ἐὰν ἐγὼ 'κ δεσμῶν λυθῶ.
illud ἔστιν haec continet: ut fatum Jovi imminens avertatur, fieri nequaquam potest neque nunc neque postero tempore, nisi Prometheus vinculis solvetur. Semel exstat perfectum, indicans effectum alicuius rei iam nunc exploratum, J. A. 915. σεσώσμεθα, semel aoristus, Tro. 720. ἐπῄνεσα, in approbatione tam certa, ut iudicium loquentis temporis momento constet et priusquam enuncietur in praeteritum tempus relapsum videatur. Imperativum frequentem esse in huius generis apodosi supra ostendimus, in altero raro sequitur, raro in utroque opt. c. ἄν.

5. Ubique plena est utraque enunciati pars, nisi quod paucis locis post κἄν coniunctivi forma omissa est, ex eo verbo, quod est in apodosi, supplenda, Soph. El. 1482. ἀλλά μοι πάρες κἂν σμικρὸν εἰπεῖν. Eur. fr. 421. κἂν σμικρὰ σώζου. Ai. 1078. δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ. At in fragm. Soph. 24. a Nauckio sic scripto:

ὥσπερ γὰρ ἐν φύλλοισιν αἰγείρου μακρᾶς
κἂν ἄλλο μηδέν, ἀλλὰ τοὐκείνης κάρα
κινηθὲν αὔραις ἀνακουφίζει πτερόν

(mutavit κινήσῃς librorum in κινηθέν, vitio quod in ἀνακουφίζει esse metrum arguit non sublato,) ex κουφίζει verbo, quod pro genuino accipere licebit, quidquid de praepositione, quacum compositum est, iudicamus, in sententia conditionali non supplenda est singularis huius actionis notio, sed generalis illa faciendi aliquid.

Pertinent haec ad quantitatem rei, ad tempus spectat

Or. 901. ὅσοι δὲ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεί,
κἂν μὴ παραυτίκ', αὖθίς εἰσι χρήσιμοι
πόλει.

Uno loco post ἢν μή ex apodosi antegressa non repetitur verbum, Rhes. 119, de quo vide p. 7.

In Crit. fr. 1. v. 22. ἐὰν δὲ σὺν σιγῇ τι βουλεύῃς κακόν,
τοῦτ' οὐχὶ λήσει τοὺς θεούς.

suspecta quidem est σύν praepositio a libris tradita, sed a Nauckio ea non recte in κἄν mutatur, ut βουλεύῃς ad κἂν σιγῇ iterum intelligendum sit. Nam quamvis ad grammaticam rationem in elliptica hac locutione nihil sit quod offendat, ad sensum ea non est idonea. Scriptus est enim totus hic locus inde a v. 9. de iis, qui occulte mali quid vel facere vel dicere vel cogitare velint, deterrendis. Neque igitur opponuntur sibi qui bene agunt quique male, ac ne ii quidem, qui aperte male faciunt quique occulte, sed ii qui occulte male vel agunt vel dicunt, et qui animo tantum mala meditantur. Rectius ergo Meinekius καὶ σιγῇ.

6. Restat ut quaeramus, quid intersit, utrum addas coniunctivo ἄν particulam an omittas. Eius rei praecepta ex tragicorum fabulis erui non poterunt, nam perexiguus apud hos est nudorum coniunctivorum numerus, sed repetenda erunt ab Homero, apud quem latius patet illorum usus. Opportune vero nobis accidit, ut de hac re fusius egerit Lilie (l. l. p. 24. s.), qui et aliorum sententias refutare studuit et ipse novam aliquam attulit, a qua aptum disputatio nostra capiet exordium.

Primum reiicit Hermanni de hac re iudicium (De ἄν part. p. 95. s.), qui cum ἄν particulae vim attribuat prorsus con-

trariam ei, in qua statuenda etiam ille Reisigio adstipulatur, non potuit non evadere sententiarum summa dissensio. Censet enim vir doctissimus, fortuiti aliquid inesse in ἄν part., quo imminuatur et debilior fiat vis particulae conditionalis, ut fortius dictum sit εἰ c. coni. quam ἐάν c. coni. Qui vero cum Reisigio sentit, affinem prorsus esse vim eius coniunctivo, non poterit non putare, eam, si quidem quidquam efficiat, amplificare notionem illius.

Itaque verum vidisse videri possit Lilie, si sic iudicat l. l. p. 20.: »Coniunctivo cum εἴ κεν εἰ ἂν ἦν partt. iuncto proponitur res, quam ex rerum quibuscum componitur statu eventuram esse colligi debet. Ex quovis enim statu rerum plura eventura possunt cogitari, quae inter se ita sunt parata, ut nihil non possit evenire, unum eveniat necesse sit.« et p. 27.: »Coniunctivo simplici res profertur, quam e rerum natura eventuram esse colligi potest; neque vero rerum status is est, qui exigat eventum. Inest igitur potestas eveniendi vel probabilitas, neque vero necessitas illa, de qua diximus. — Quae cum ita sint, simplex coniunctivus invenitur aut ubi proferuntur quae saepe fiunt, aut in sententiis generalibus.« et p. 30.: »Est autem in his enunciatis, ubi proponuntur quae saepe fiunt, una species secernenda eorum, in quibus iure ἂν vel κε part. admiscetur. Potest enim res prolata ita esse parata, ut ea quotidie vel certis quibusdam temporis intervallis et legibus repetatur. Est autem in his quoque necessitas quaedam eveniendi, cum exigatur eventus non quidem propter rerum, quibuscum res componitur, statum, tamen propter rei ipsius naturam, ex qua certis quibusdam temporibus evenire debet. Quare suum locum tenet in his enunciatis part. ἂν et κε.«

At obstant multa, quominus rem ita se habere concedamus. Ac primum negabimus, ἄν vel κέ particula necessitatis notionem ad coniunctivum afferi. Nam si ille in simplici coniunctivo potestatem aliquid efficiendi vel probabilitatem inesse, particula vero fieri aliquid posse secundum rerum nexum significari vult (l. l. p. 3.), quomodo huius adiectione illum ad necessitatis notionem adducat, nequaquam intelligo. Si quidquam particulae tribuemus, augere eam probabilitatis notionem, quae in ipso coniunctivo est, putabimus. Ac possit ea sic quoque ac-

cedere videri in iis, quae maiorem ex rerum natura probabilitatem habeant et aspectui saepius offerantur, deficere in iis, quae minus facile et minus saepe eveniant. At ne hoc quidem fieri comparatis enunciatis temporalibus ab illo p. 27. s. et p. 30. appositis elucebit.

Quid enim? videndi, ut adolescens cervices tauri securi percuteret, in quo describendo posita est ἄν part. P. 520., num saepius occasio data erat, quam ut haec fierent, quae solo coniunctivo exprimuntur?

Υ 495. ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας τριβέμεναι κρῖ λευκόν,
ι 391. ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ,
Φ 257. ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ὕδατι ῥόον ἡγεμονεύῃ,
Δ 259. ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον
Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρι κέρωνται,

vitae quotidianus usus, opinor, horum aspectum non minus saepe praebebat, quam rei illius.

Quid? si addita est hoc loco

Μ 41. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται, σθένεϊ βλεμεαίνων,

deest in his: Λ 414. ὡς δ' ὅτε κάπριον ἀμφὶ κύνες θαλεροί τ' αἰζηοὶ σεύωνται,

Λ 324. ὡς ὅτε κάπρω ἐν κυσὶ θηρευτῇσι μέγα φρονέοντε πέσητον,

num censemus, in venando haec minus facile accidere potuisse, quam illud?

Quid? si habemus Κ 5. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο, contra Ρ 547. ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ Ζεύς, alterum crebro fiebat, alterum rarius?

Quid vero? si in eadem re modo coniunctivum nudum, modo cum ἄν constructum reperimus, ut

Ο 170. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐκ νεφέων πτῆται νιφὰς ἠὲ χάλαζα,
Μ 278. ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτωσι θαμειαί,

num poeta diversos probabilitatis gradus distinguere voluit?

Satis habeo haec apposuisse, qui comparationem ipse instituet, inveniet alia multa.

At ea saltem, in quibus adiuncta est ἄν vel κέ part., omnia ita parata sunt, ut saepe usu veniant. At hoc non particulis istis efficitnr. Certe afferendae erunt causae, cur eae in iisdem vel simillimis rebus absint, ne soli poetae arbitrio

commissum videatur, volueritne maiorem illam probabilitatem vel etiam necessitatem notare necne.

Quod vero de omissione ἄν et κέ part. in iis, quae non in universum dicta sunt, sed de re semel futura, existimat (p. 31): »Videtur in iis quae coniunctivo usitatissima est in enunciatis liberis notio adhortandi et provocandi, transiisse in enunciatum conditionale. Huic autem coniunctivo ἄν et κέ particulas, quippe quae rem revocent ad iudicium eius qui loquitur, nunquam posse adiici constat.« accipere impedimur eo, quod tertia coniunctivi persona in prohibendi quidem notionem dicitur, in adhortatione autem affirmativa ne in libera quidem oratione usurpatur. Est autem omnibus his locis praeter unum tertia persona in sententia affirmativa posita.

Quae cum ita sint, alia via nobis ingredienda erit ad vim, quam particulae illae in coniunctivum habeant, explicandam. Et aperitur ea nobis, si conferimus coniunctivorum numerum in duobus illis generibus, quae ab initio disiunximus. In iis, quae fieri solere praedicantur, nudi coniunctivi exstant quindecim, Α 81. Δ 261. Κ 225. Λ 116. Μ 238. Π 263. Τ 164. Φ 576. Χ 191. α 167. η 204. μ 96. ξ 373. π 97. 116. (cf. Lilie l. l. p. 31.), in rebus semel futuro tempore efficiendis decem, addendi sunt enim ad eos locos, quos ille (p. 32.) enumerat, Α 240. Ε 258. Μ 223. 245. Χ 86. α 204. ε 221. μ 348., hi duo α 189. ε 471. Comitatur vero ἄν vel κέ part. coniunctivum in illo genere quinque locis, Α 166. Γ 25. Λ 392. Μ 302. ε 120., in hoc pluribus quam centum et quadraginta. In hoc igitur particulae adiectio longe praevalet, nudi coniunctivi usus paene nullus est, in illo altero tanto maior est nudorum coniunctivorum numerus, quam eorum, quibus adiuncta est particula, et maior etiam videtur esse in enunciatis temporalibus, quod quidem concludendum sit ex iis exemplis, quae ex comparationibus ille attulit (p. 27. 28. et p. 30.)

Neque fugit hoc Lilium, sed cum in iis, quae saepe fiunt, necessaria discernat a probabilibus, in rebus semel efficiendis ἄν et κέν particulis quidem eandem vim esse vult, ut coniunctivum ad necessitatis notionem transducant, (quamquam haec necessitas, de qua infra videbimus, longe alia est atque illa,) sed in explanando nudo coniunctivo ad adhortandi et provo-

candi notionem confugit. Rectius vero aequalem utriusque generis coniunctivis explicationem adhibebimus eamque paullo altius repetemus.

Priusquam orerentur particulae, quae vim suam in significationem modorum exercerent, necesse fuit illi ipsi in lingua exstitissent, intercessitque sine dubio temporis spatium haud exiguum, per quod soli sufficere viderentur ad rationem inter cogitationem subiecti et rei veritatem significandam. Mature addi coeptae erunt particulae istae optativo in iudicio faciendo, nam in hoc animus non suo arbitrio grassatur, sed ducitur simul vel iis, quae antea expertus est, vel quae fieri posse aut ipsa natura rerum aut praesens status docet. Quod cum fugere homines nequiret, significationem eius rei efficiebant adiectis voculis istis, ex quibus cognosceretur, iudicium suum a vera rerum conditione non abhorrere. Estque nudus optativus iam apud Homerum rarissimus, nam teste Lilio (l. l. p. 6.) duodecies tantum reperitur, cum ἄν vel κέ coniunctus plus trecenties quinquagies. In sumptione vero, qualis est in protasi enunciati conditionalis, totum in libero loquentis arbitrio situm est, quid effingere sibi velit, neque est ulla necessitudo res extra se positas respiciendi. Quare in hac ne apud illum quidem frequenter particula ad optativum accedit, postera vero aetate fere numquam. Quodsi non iniuria aliquis dicat, iudicium reddi certius, si non in sola loquentis mente versari sinatur, sed aliquam partem ex rerum conditione ducatur, tamen fieri potest, ut illi aliquid tam penitus persuasum sit, ut in sola hac persuasione acquiescat, externarum causarum ratione non habita. (Sec. Lübberti doctr. gr.) Praeclare hoc probat

K 556. ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ ἀμείνονας, ἠέπερ οἵδε,
ἵππους δωρήσαιτ', ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰσιν.

Ulixes fiduciam tam firmam in potentia deorum collocat, ut quam probabilitatem res ex rerum natura habeat nullius momenti ducat; cf. γ 231. Sustentatur horum locorum similitudine nudus optativus in Phoen. 1208. Atque etiam ad Ai. 921. is aptus est, nam profert Tecmessa animi iudicium, opportune adventurum esse Teucrum, natum illud ex desiderio, ut veniat. De quibus locis vide etiam p. 5.

Sed etiam coniunctivo iungi solet ἄν vel κέ part. iam apud Homerum in eo genere saltem, quod ad res semel futuro tempore efficiendas pertinet, diutius retentus est nudus coniunctivus in iis, quae quovis tempore fieri posse dicuntur. Quid igitur? num etiam coniunctivi notionem amplificari censeamus ἄν et κέ particularum vi? At cognatae hae quam maxime sunt illi neque novi quidquam ad eum afferunt, sed quod in ipso inest, iterum plane et diserte significant. Itaque causam, cur in altero genere prius addi coeptae sint, in altero tardius, sic expedio. Si quis rem semel futuram ex conditione suspensam facit, probabilitas, quam ei esse arbitratur, ducta est ex ea rerum conditione, quae modo est, idque adiecta particula ista accuratius indicatur, ut oriatur fere hoc: si fiat, quod fieri potest, estque rerum status, sc. qui nunc est, is per quem evenire posse videatur. Iterata hac notione probabilitatis vis non augetur, neque enim de magnitudine eius quidquam praedicatur, sed id indicatur, quaecunque sit, causam eius sitam esse in praesenti rerum statu. Quae vero iterum atque iterum fieri possunt, quamquam per se saepe sunt verisimillima, tamen eo ipso tempore, quo quis loquitur, plerumque causa non est, cur effectum ea iri sumat. Nam si verbi causa Δ 261. Agamemno ad Idomeneum haec:

εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
ἕστηχ', ὥσπερ ἐμοί, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

fert quidem vitae usus, ut quotidie ceteri Achaei ratam vini partem accipiant, Idomeneus cum principibus bibat, quantum libeat, sed nunc, cum Agamemno haec dicit, Achaei non in eo sunt, ut coenent, quare abest relatio ad praesentem rerum conditionem ἄν vel κέ part. efficienda. Jam vero patet, cur in superiore genere nonnunquam desit particula, in hoc addatur. Nova enim aliqua dicendi consuetudo veterem non adeo expellere solet, ut vestigia eius maneant nulla, supersunt igitur etiam illic aliqua certe nudi coniunctivi exempla. Sed visa est iterata illa relatio ad rerum conditionem Graecis ita conveniens, ut contineri eam non paterentur iis, quae nunc evenire posse viderentur, sed ad cuncta transferrent, quae pro quapiam rerum conditione fieri possent. Apud Homerum ex-

tentae huius consuetudinis initia tantum reperiuntur, apud posteros nudus coniunctivus plane de loco suo demotus est.

Qui particulis istis coniunctivi vim augeri existimant, iis statuendum erit, cuncta illa, quae semel futura esse sumantur, probabiliora visa esse poetae, quam quae quovis tempore accidere possint. Hoc vero probari nullo pacto posse luce clarius est. Nam quae convenientia sunt rerum naturae vel hominum consuetudini, exspectandum est, ut, sicut saepe iam facta sunt, iterum atque iterum eveniant, contra quae probabilitatem omnem ex praesenti rerum statu habent, numquam fortasse efficientur. Nam, ut exemplum afferam, si hae duae res sibi opponuntur:

Γ 281. εἰ μέν κεν Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ,
αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα,
ἡμεῖς δ' ἐν νήεσσι νεώμεθα ποντοπόροισιν·
εἰ δέ κ' Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος,
Τρῶας ἔπειθ' Ἑλένην καὶ κτήματα πάντ' ἀποδοῦναι.

utraque aeque facile effici potest, quin etiam fieri potest, ut Paris et Menelaus invicem se interficiant, sed fortasse neque hic occidet illum, neque ille hunc.

Perperam igitur, ut ne hoc quidem in genere necessitatis notionem sustineri ullo modo posse paucis monstrem, Lilie (p. 21.): »Dicendum erat hoc loco Agamemnoni, quid secundum rerum naturam et rationem hominum fieri necesse esset. Erat autem necesse aut ut vinceret Menelaus aut Alexander.« Nam quamquam falsa quidem non sunt, quae antea (p. 20.) exposuit: »Ex quovis enim statu rerum plura eventura possunt cogitari, quae inter se ita sunt parata, ut nihil non possit evenire, unum eveniat necesse sit.« si quidquam de iis, quae fieri possunt pro praesenti rerum statu, praetermittas, necessitas illa sublata est. Sed etsi omnia comprehendas, quaeritur, sitne propria coniunctivi vis in necessitate illa ponenda, an in eo, posse quidvis fieri. Et, credo, ambigui minime potest, quin ea in hoc sita sit. Nam cum necessitate quadam alterum fieri debere non minus recte de indicativis in hoc loco usurpatis dicas: Or. 229. λέξεις τι καινόν; καὶ εἰ μὲν εὖ, χάριν φέρεις·
εἰ δ' εἰς βλάβην τιν', ἅλις ἔχω τὸ δυστυχεῖν.

Sicut autem nemo indicativis necessitatis notionem tribuet, sed

hanc veram eorum vim esse volet, ut sumant, vel hoc vel illud re vera esse futurum, ita propria coniunctivi vis ea est, posse hoc vel illud fieri.

Sed affatim iam demonstrasse mihi videor, neque inter necessaria et probabilia, neque inter plus minusve probabilia discrimen esse faciendum. Accedamus igitur ad tragicorum fabulas. In his ἄν particulae adiectio in utroque genere coniunctivi pervulgata est, exceptis perpaucis locis. Et cum ab Homero quamvis raro ἄν interposita πέρ vel δέ particula ab εἰ seiungatur, ubi vero coniunguntur, ἤν scribatur, apud illos ἄν ubique in unam vocem cum εἰ coaluit, ita quidem, ut apud Aeschylum ἐάν part. praevaleat, apud Euripidem ἤν sola fere usurpetur, apud Sophoclem utraque aeque frequens sit. Reperitur enim

	ἐάν	ἤν	κἄν
apud Aesch.	8	3	1
Soph.	22	28	19
Eur.	11*)	176	83
in fragm. rel. tr. et adesp.	1**)	9	8

Simplicem coniunctivum ubi admiserunt, Aeschylus quidem et Sophocles secuti sunt Homerum. Legitur enim in sententiis generalibus his locis: Suppl. 91. Ant. 710. O. R. 198. 874. O. C. 509., de re futura Pers. 791. Ai. 496. O. C. 1443., ad quos addendus erit Soph. fr. 818., ubi optativum χωροῖμεν a Nauckio scriptum pro χωρῶμεν repudiandum existimo, vide p. 42. Maior igitur aut certe par alteri generi est etiam apud hos coniunctivorum superioris generis numerus.

Apud Euripidem vero nullus locus est, in quo non aut in dubium vocatus sit coniunctivus aut ἄν part. ex coniectura addita.

Segregandus est a ceteris et per se tractandus

Or. 1541. εἰ γὰρ Ἀργείους ἐπάξει τοῖσδε δώμασιν λαβὼν
τὸν Ἑλένης φόνον διώκων κἀμὲ μὴ σώζειν θέλῃ
σύγγονόν τ' ἐμὴν Πυλάδην τε τὸν τάδε ξυνδρῶντά μοι,
παρθένον τε καὶ δάμαρτα δύο νεκρὼ κατόψεται.

*) Med. 722. El. 952. Her. 256. 516. Jon. 437. Tro. 720. Hel. 1070. Phoen. 759. Cycl. 424. Rhes. 143. fragm. 294.

**) Crit. fr. 1. v. 22.

Licet libri nonnulli habeant indicativum θέλει, in praestantissimo, Marciano, est θέλῃ, adscriptis his γρ. καμὲ μὴ σώσῃ θανεῖν, quae is, cui praeter illum maxime fides habenda est, Vaticanus, recte scripta in textum recepit, et in tertio quodam est θέλη, adscripto ει a m. sec. Ex libris igitur coniunctivus satis auctoritatis habet, neque caret commendatione ex sententia ipsa. Nam etiamsi Orestes orationem talem instituit, qualis ad ratiocinandum maxime idonea fuit, tamen in altero membro praeponderare potuit cogitatio, pro iniuria ei illata verisimile esse, gravissimam poenam repetiturum esse Menelaum. Et quamvis quae conferam similia non habeam, in coniunctivo absoni nihil video. Ἂν part. propterea addi non potuit, quod conditionalis particula non repetitur, a qua apud Atticos non seiungitur.

Alia est reliquorum locorum natura.

J. A. 1240. βλέψον πρὸς ἡμᾶς, ὄμμα δὸς φίλημά τε,
ἵν' ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ' ἔχω σέθεν
μνημεῖον, εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις.

Porso scribi iussit πείθει, Elmsleius πείσει, iure vero Hermannus tuetur coniunctivum. Possit indicativus ita accipi, ut Iphigenia iam exploratum habere sese profiteatur, patrem precibus suis motum non iri. Sed obstat, quod mox a fratre infante petit, ut lacrimis et precibus se adiuvet. Omnino ind. fut. in enunciatione conditionali addita ad finalem non reperi, nisi in

Soph. El. 1003. ὅρα κακῶς πράσσοντε μὴ μείζω κακὰ
κτησώμεθ', εἴ τις τούσδ' ἀκούσεται λόγους.

sed hoc loco sententiarum nexus hic est: vide ne res nostras afflictas iam nunc deteriores etiam reddamus, (id quod certo futurum est,) si ad Aegisthum haec deferentur.

In J. A. 1002. πάντως δέ μ' ἱκετεύοντες ἥξετ' εἰς ἴσον,
εἴ τ' ἀνικέτευτος ᾖς·

coniunctivus multis modis ab interpretibus tentatus est. Coniecit Hartungius ἀνικέτευτός εἰμ', Reiskius ἦν, Nauckius ἀνικετεύτως· εἶς, Hermannus ἀνικέτευτος ἦσθ'. Sed praestat coniunctivus, in iis locis, in quibus duae res aeque probabiles sibi opponuntur, adhiberi solitus, velut Suppl. 500. θεοῦ θέλοντος ἤν τε μὴ θέλῃ. Hel. 1394. ταὐτὰ γὰρ παροῦσά τε πράξεις

ἤν τε μὴ παρῇς. cf. Andr. 430. Hec. 734. Tro. 649. 907. J. A. 1273. Cycl. 330.

Rhes. 823. εἰ δὲ χρόνῳ παράκαιρον ἔργον ἢ λόγον
πύθῃ, κατά με γᾶς
ζῶντα πόρευσον· οὐ παραιτοῦμαι.

libri omnes iique non pauci consentiunt in εἰ δέ et πύθῃ, praeter unum, qui habet ἢδέ.

Videmus igitur hoc loco coniunctivum librorum auctoritate stabilitum, superioribus duobus similitudine certe aliorum locorum confirmatum. Sed quaeritur, sitne εἰ servandum an ex coniectura ἤν scribendum, quod et Matthiae ubique praetulit et Kirchhoffius atque Nauckius in Rheso saltem receperunt. Retinere εἰ valde dubitabimus. Quid enim? Euripidem num a consuetudine Homeri, quem priores tragici secuti sunt, tam longe recessisse credimus, ut in iis, ubi ille nudum coniunctivum ubique fere praebeat, eum spreverit, admiserit, ubi ille raro eo usus sit? In temporalibus quidem sententiis et relativis ab eo non discessit, prius enim quindecim locos inveni, in quibus in universum dictus esset, Alc. 76. 984. Med. 513. El. 971. Hipp. 429. 529. 1264. J. T. 1039. Jon. 864. Or. 1555. fr. 287. 299. 850. 1039. 1076., quam unum, ubi de re semel futura. Nam Bacch. 115. pro ὅτ' trochaeum antistrophicus versus postulat, neque improbanda videtur Elmslei coniectura, εὖτ' ἂν ἄγῃ scribi iubentis. Quae cum ita sint, non potest non nudus coniunctivus illis locis a libris traditus gravissimam suspicionem nobis movere. Atque de Rheso dubitatio est num ab Euripide compositus sit, quare de huius loco ut certi aliquid statuant, iis committo, qui sitne ab illo conscriptus an qua alia aetate diiudicaverint. Iphigenia vero Aulidensis imprimis in iis fabulis habenda erit, in quibus antiquae manus verba corrigendo interpolasse audacissime grassatam manum recentiorem testatur Kirchhoffius (praef. p. VIII.) Ab hac insolitam hanc apud Euripidem structuram, quae a reliquis tragicis non prorsus contemnitur, importatam esse credere malim, quam nisus testimonio librorum tam infirmo poetae ipsi eam tribuere.

De optativo.

1. Optativo ea ponuntur, quae in sola mente ac cogitatione versantur et agitantur, nulla neque veritatis rerum neque eventus ratione habita. Differt igitur ille ab indicativo et coniunctivo ita. Indicativo cum in rerum veritate rem collocemus, optativo eam totam cogitatione nostra contentam esse volumus. Coniunctivo vero cum ea proferamus, quae ut evenire posse statuamus vel praesenti rerum statu vel ipsius rei natura adducimur, optativo ad futurum rei effectum omnino non spectamus. Sumuntur igitur eo etiam ea, quae fieri nullo modo possunt, quia naturae legibus repugnant, ut Ag. 37. Eur. El. 542. Soph. El. 548. 1316. H. F. 717., neque enim umquam aedes vocem humanam nanciscentur, neque vestis incrementum capiet, neque qui mortem occubuit reviviscet.

2. Ex conditione animo efficta colligi nihil potest, quod non et ipsum totum in illo positum sit. Itaque in apodosi locum suum tenet optativus, sive is optationem indicat, sive socia ἄν part. opinionem loquentis. In Ai. 921. omissionem ἄν part. me tueri, notavi p. 6 et 31.

In stichomythia vel canticis commaticis sententiam interdum non plenam esse iam in conditione non impleta vidimus (p. 17.), hic vero saepius etiam fit, ut aut omittatur apodosis, Sptm. 260. Andr. 827. Or. 767. Phoen. 725. 1352. 1686. aut quasi adumbretur his voculis τί δέ; J. T. 999. Hel. 1042. Phoen. 733. Ac reperiuntur eae etiam post ind. Jon. 369. Cycl. 524., et post coni. Her. 1020. fr. adesp. 41., atque etiam τί μήν; Rhes. 695. post ind., τί γάρ; Phil. 1405. τί δῆτα; El. 273. sententia magis explicata post coni. Semel deest apodosis post coni. Hel. 831., semel post ind. Aesch. Suppl. 511., ubi non recte a Porsone et Hermanno εἰ librorum in ἤ mutatum esse evincit eorum, quae varia adscripsi, similis ratio. Si quaeris, quinam modus adhibendus esset, apodosin complere vel supplere si velles, dubium quidem non est, quin optativo iungendus esset opt. c. ἄν, indicativo autem et coniunctivo non minus recte adiiceretur indicativus, quam temporum praeteritorum indicativo in conditione non impleta ind. c. ἄν.

Alia de causa deest apodosis Ag. 555. et 563., nam pro studio suo alia aliis cumulandi nuncius orationem inceptam abrumpit, ad nova se convertens.

In Trach. 461. κοὔπω τις αὐτῶν ἔκ γ' ἐμοῦ λόγον κακὸν
ἠνέγκατ' οὔτ' ὄνειδος· ἥδε τ' οὐδ' ἂν εἰ
κάρτ' ἐντακείη τῷ φιλεῖν.

ad ἥδε τ' οὐδ' ἄν facile suppletur ἐνέγκαιτ' ὄνειδος.

Neque mutandum quidquam opinor de librorum scriptura in Eur. El. 613. ΟΡ. ἥκω 'πὶ τόνδε στέφανον· ἀλλὰ πῶς λάβω;
ΠΡ. τειχέων μὲν ἐλθὼν ἐντὸς οὐδ' ἂν εἰ θέλοις.

sed hic quoque ex λάβω assumendum λάβοις. Spectat enim senex hoc, ab Aegistho esse tam diligenter praecautum, ut, si quidem Orestes intra muros versetur, per rei difficultatem nihil profecturus sit, etiamsi sit animo promptissimo.

De O. C. 1679. ΧΟ. βέβηκεν; ΑΝ. ὡς μάλιστ' ἂν εἰ πόθῳ λάβοις. non recte existimat Reisigius (l. l. p. 122.): »Sed ἄν ante εἰ poni posse, particulis cum optativo constructis, docemur manifesto Sophoclis exemplo in O. C. v. 1670. Verborum nexus hic est: ὡς εἰ μάλιστ' ἂν πόθῳ λάβοις.« Pertinet enim ἄν ad apodosin, sive ad hanc refers verbum finitum λάβοις, in protasi supplendum, sive ad illam, in hac subaudiendum. Sed ad sensum praestat ἐν πόθῳ, ex emendatione Canteri a plerisque receptum.

J. T. 653. ἔστιν ἡ ξένη γένος
ἐκεῖθεν Ἀργεία τις· οὐ γὰρ ἄν ποτε
δέλτον τ' ἔπεμπε καὶ τάδ' ἐξεμάνθανεν,
ὡς κοινὰ πράσσουσ', Ἄργος εἰ πράσσοι καλῶς.

pro πράσσει librorum sine dubio restituendus est opt. πράσσοι. Subiuncta est enim haec conditio ei, quae continetur in participio, valetque ὡς κοινὰ πράσσουσ' idem atque ὡς εἰ κοινὰ πράσσοι, ad quod intelligendum est ex antecedentibus ἐκμάθοι ἄν. Illa de tempore praeterito dicta sunt, haec de quovis tempore intelligenda.

3. Secundum ea, quae antea exposuimus, abhorrere videtur ab apodosi indicativus. Tamen haud raro nobis occurrit, singulari quadam ratione explicandus. Praedicatur enim aliquid, quod etiam non adiecta conditione valeat, optativo vero

aliquid ponitur, in quod, forte si accidat, illud quod universe dictum est cadat. Ut haec inter se concilientur, requirimus sententiam aliquam interpositam, qua praedicetur, id quod in universum valeat etiamtum comprobatum iri, si alterum illud accidat. Ad grammaticam igitur rationem supplendum esse dicas cum ἄν coniunctum optativum eiusdem verbi, cuius est indicativus.

a. Huius locutionis origo optime ex Homero cognoscitur. Apud quem si habemus

ϑ 138. οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο ϑαλάσσης,
ἄνδρα τε συγχεῦαι, εἰ καί μάλα καρτερὸς εἴη.

locus ipse, quem obtinet conditio, demonstrat, indicativum propria et sua vi dictum esse, ut aliquid pro certo praedicet, optativum vero addi, ut affirmetur, illud etiam in eo valere, in quo quis minus arbitretur. Neque vero hoc quidquam affertur, quod non et ipse indicativus comprehendat, latissime autem eius vim patere aperte significatur particulis εἰ καί vel in sententia negativa οὐδ' εἰ, cf. ind. fut. I. 388.

Apud tragicos unum tantum locum reperi, illis omni ex parte similem, Hipp. 1239., duobus aliis, O. R. 851. Eur. fr. 706., res quidem eadem est, sed diversa sententiarum collocatio, praecedit enim hypothesis.

Sed excoluerunt illi alia et plura huius usus genera, quae singula nobis persequenda erunt.

b. Ac primum quidem utuntur optativo ita ut ad sententiae primariae ambitum prorsus non spectet, sed id tantum significet, quod illa praedicetur, appariturum esse, si quando vel casu vel consilio deorum tale quid accidat, velut

Eur. Suppl. 1009. ἥδιστος γάρ τοι ϑάνατος
συνϑνήσκειν ϑνήσκουσι φίλοις,
εἰ δαίμων τάδε δὴ κραίνοι.

Alia huiusmodi sunt: Tro. 403. εἰ δ' εἰς τόδ' ἔλϑοι. fr. 463. εἰ δ' οὖν γένοιτο· fr. 775. εἰ δὲ τύχα τι τέκοι. Hoc loco sequitur aoristus gnomicus ἔπεμψεν φόβον, in omnibus autem praeter illum, quem integrum adscripsi, praecedit optativus. Pervulgato enim hoc dicendi genere liberior facta est sententiarum collocatio.

Docemur autem his locis, etiam in Med. 1096. s. sic scribi posse:

καὶ δὴ γὰρ ἅλις βίοτον εὗρον
σῶμά τ' ἐς ἥβην ἤλυθε τέκνων
χρηστοί τ' ἐγένοντ'· εἰ δὲ κυρήσαι
δαίμων οὗτος, φροῦδος ἐς Ἅιδην
θάνατος προφέρων σώματα τέκνων.
πῶς οὖν λύει πρὸς τοῖς ἄλλοις
τήνδ' ἔτι λύπην ἀνιαροτάτην
παίδων ἕνεκεν
θνητοῖσι θεοὺς ἐπιβάλλειν;

et sustentatur opt. κυρήσαι consentiente paene librorum auctoritate, nam unus tantum codex, quamvis bonus, Vaticanus, exhibet κυρήσας, reliqui κυρῆσαι, atque etiam ille habet glossam a m. 1. adscriptam κατὰ συγκύρειαν ἔλθῃ, suprascripto αι a m. 2. c. gl. τύχοι συμβῇ. Licet igitur scholiastes quoque in Vaticano legerit et κυρήσας et οὕτως, et totam periodum conditionalem, quam nos esse volumus, protasis loco habeat, ad quam addatur apodosis inde a verbis πῶς οὖν, ex reliquis libris, inter quos etiam ii sunt, quibus secundum illum plurimum fidei habendum est, κυρήσαι excepiemus atque οὗτος, est enim etiam hoc non minus confirmatum quam κυρήσαι.

c. Propius ad Homericorum illorum locorum similitudinem accedunt ii, in quibus indicativo aliquid profertur, quod in universum quidem valet, sed in iis potissimum cognoscetur, quae optativo sumuntur, ut

Andr. 758. εἴ τι γὰρ πάσχοι τις ἀμήχανον, ἀλκᾶς
οὐ σπάνις εὐγενέταις.

Quovis tempore iis, qui nobili loco orti sunt, auxilium praesto est, sed prae ceteris id manifestum fiet, si quando rebus adversis adfligentur. Cf. Ag. 1042. Sptm. 4. Suppl. 730. Ai. 520. 1344. O. C. 351. Alc. 557. Jon. 739. fr. 126. 336. Etiam in his conditio non minus saepe antecedit aut inserta est enunciationi primariae, quam insequitur.

d. At non solum ea optativo ponuntur, de quibus iudicium indicativo proditum potissimum valeat, sed etiam ea, de quibus solis valeat. Quomodo optativi usus in haec extendi potuerit,

praeclare demonstrat locus Sophoclis in El. 369., ubi chorus rixantes sorores ita admonet:

μηδὲν πρὸς ὀργήν, πρὸς θεῶν· ὡς τοῖς λόγοις
ἔνεστιν ἀμφοῖν κέρδος, εἰ σὺ μὲν μάθοις
τοῖς τῆσδε χρῆσθαι, τοῖς δὲ σοῖς αὕτη πάλιν.

nam non minus recte quam haec: in utriusque verbis inest utilitatis aliquid, idque percipiatur, si altera alterius verbis obtemperare velit, dicas: sed percipi illud non poterit nisi ea conditione, ut altera alteri obtemperet.

Alii huius generis loci sunt hi:

O. R. 915. οὐδ' ὁποῖ' ἀνὴρ
ἔννους τὰ καινὰ τοῖς πάλαι τεκμαίρεται,
ἀλλ' ἐστὶ τοῦ λέγοντος, εἰ φόβους λέγοι.

Jocaste ita locuta est, ut verba eius de quovis, qui Oedipodi aliquid suadeat, accipi possint, sed vult eos tantum intelligi, qui metum suadeant, quod ne ambiguum videatur, addit: εἰ φόβους λέγοι, mente intelligens εἴη ἄν.

Hipp. 1048. ΙΠ. οἴμοι, τί δράσεις; οὐδὲ μηνυτὴν χρόνον
δέξῃ καθ' ἡμῶν, ἀλλά μ' ἐξελᾷς χθονός;
ΘΗ. πέραν γε πόντου καὶ τόπων Ἀτλαντικῶν,
εἴπως δυναίμην· ὡς σὸν ἐχθαίρω κάρα.

Theseus pro ira, qua commotus est, trans mare et loca Atlantica propulsurum se esse Hippolytum asseverat, cum vero sentiat, professum se esse, quae exsequi nequeat, addit: si possim, sc. faciam hoc.

Cum his conferendi sunt Soph. Ant. 1031. fr. 752. Eur. Med. 627. Andr. 691. Her. 892. Hipp. 1049. Hec. 837. fr. 255.

Tritum est etiam εἰ μή c. opt., quo quod antea omnino negatum est, tum fieri posse conceditur conditione aliqua plerumque ita parata, ut non facile eveniat, velut

Hec. 769. ΑΓ. φεῦ φεῦ· τίς οὕτω δυστυχὴς ἔφυ γυνή;
ΕΚ. οὐκ ἔστιν, εἰ μὴ τὴν τύχην αὐτὴν λέγοις.

cf. Aesch. fr. 352. Eur. Hec. 769. H. F. 716. fr. 163. 176. 212. 315.

Tenendum igitur hic quoque est, indicativo propriam et suam notionem esse, ut pro certo aliquid confirmet, sed cum quis animadvertat, sententiam praedicatam non omni ex parte veram esse, vim eius ita restringi, ut adiecta tantum condi-

tione valere dicatur. Serius vero hoc genus effictum esse quam superiora cum res ipsa docet tum sententiarum collocatio, retinuit enim hypothesis secundum locum ubique praeter Med. 627.

e. Jam vero non poterimus quin optativum a viris doctis non recte illatum esse censeamus his locis:

Soph. fr. 818. Ἐνετοῖσιν ἵπποις τοῖσιν ἐκλελεγμένοις
ἥδιον εἰ χωρῶμεν ἢ παντὶ σθένει.

Nauckius ut scriberet χωροῖμεν raro simplicis coniunctivi usu adductus esse videtur. At non video quomodo optativum eorum generum, quae modo descripsimus, ulli subiungamus.

Ag. 1327. ἰὼ βρότεια πράγματ᾽· εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν τρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχῇ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

non est cur a codicum scriptura δυστυχῇ recedamus, neque debuit Dindorfius recipere Blomfieldii δυστυχοῖ, scriptum illud pro δυστυχεῖ a Porsone edito.

Medeae vero versui 358. aptam medelam non adhibet Kirchhoffius, si ita scribere vult:

εἰ γάρ τι δράσαις, δεινόν· ὧν φόβος μ᾽ ἔχει.

repugnat enim legi ante constitutae, quod δεινόν per se solum nullo modo accipi potest.

f. In cunctis illis, de quibus adhuc disputavimus, res indicativo praedicata ad praesens tempus vel futurum pertinebat. Sed reperimus etiam imperfectum bis apud Euripidem, estque non difficilis optativi accedentis ex singulari rerum natura explicatio.

Bacch. 600. ΔΙ. εἰς ἀθυμίαν ἀφίκεσθ᾽, ἡνίκ᾽ εἰσεπεμπόμην,
Πενθέως ὡς εἰς σκοτεινὰς ὁρκάνας πεσούμενος;
ΧΟ. πῶς γὰρ οὔ; τίς μοι φύλαξ ἦν, εἰ σὺ συμφορᾶς τύχοις;

captus erat Bacchus a Pentheo, sed quia nunc liber a vinculis adest, cum cogitatione illa: quis mihi custos supererat? coniungitur haec: et quis omnino mihi sit? quae etiamsi non effertur, efficit tamen, ut hypothesis ei congruens reddatur.

J. A. 1404. Ἀγαμέμνονος παῖ, μακάριόν μέ τις θεῶν
ἔμελλε θήσειν, εἰ τύχοιμι σῶν γάμων.

modo professa est Iphigenia, mortem suscipere se velle, dempta est igitur Achilli spes, ducturum se eam uxorem esse. Neque

tamen statim totam illam deponit, sed de consilio suo depellere Iphigeniam studet. Et sperare eum, posse hoc sibi prospere succedere, demonstrat etiam opt. τύχοιμι, quo uti non posset, nisi cogitaret: ἔμελλε θήσειν καὶ ἔτι ἂν θείη.

g. Restat una species eorum, in quibus ad sententiae integritatem deest quidem opt. c. ἄν, sed is non ex verbo finito enunciationis primariae supplendus. Omissum est enim verbum dicendi, quod supervacaneum erat addere, cum res ipsa antea iam commemorata aut certe memorari coepta esset, nam aut inseritur hypothesis alteri enunciationi aut subsequitur eam, ut

O. C. 266. ἐπεὶ τά γ' ἔργα μου
πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα,
εἴ σοι τὰ μητρὸς καὶ πατρὸς χρείη λέγειν.

sc. λέγοιμ' ἂν τάδε, εἰ χρείη λέγειν.

Ai. 1159. ἄπειμι· καὶ γὰρ αἰσχρόν, εἰ πύθοιτό τις,
λόγοις κολάζειν, ᾧ βιάζεσθαι παρῇ.

sc. est enim turpe, hoc et ipse censeo, et dicat etiam alius quis, si comperiat.

Cf. ind. praes. O. R. 583. Hipp. 981., aor. Hec. 1184.

h. In Or. 501. εἰ τόνδ' ἀποκτείνειεν ὁμόλεκτρος γυνὴ
χὠ τοῦδε παῖς αὖ μητέρ' ἀνταποκτενεῖ
κἄπειθ' ὁ κείνου γενόμενος φόνῳ φόνον
λύσει, πέρας δὴ ποῖ κακῶν προβήσεται;

non offendit futurum in apodosi positum, offendere possit in protasi optativum excipiens. Sed licet res primum in cogitatione tantum collocata esset, cum cumularentur inaudita, graviore dicendi ratione opus videbatur. Habet autem plus ponderis oratio, si rem in ipsa rerum veritate collocas, quam si animo tantummodo fictam eam velis.

i. Denique notandi sunt duo loci, in quibus indicativus, qui primo aspectu sequi videtur optativum, re vera ex illo non est suspensus. Nam

Ag. 930. εἰ πάντα δ' ὣς πράσσοιμ' ἄν, εὐθαρσὴς ἐγώ.

in εὐθαρσὴς ἐγώ sc. εἰμί in unum contracta sunt haec: θαρσῶ ἐγώ, εὖ ἂν ἔχειν.

O. R. 249. ἐπεύχομαι δ', οἴκοισιν εἰ ξυνέστιος
ἐν τοῖς ἐμοῖς γένοιτ' ἐμοῦ συνειδότος,
παθεῖν ἅπερ τοῖσδ' ἀρτίως ἠρασάμην.

si libera esset oratio, adhibendus esset optativus, qui est optantis, πάθοιμι, ab ἐπεύχομαι pendens ille in infinitivum commutatur.

4. Eandem explanationem habet imperativus
in Trach. v. 1189. εἰ δ' ἐκτὸς ἔλθοις, πημονὰς εὔχου λαβεῖν.
At Sptm. 683. εἴπερ κακὸν φέροι τις αἰσχύνης ἄτερ,
ἔστω.

ἔστω concedentis est, eiusdem fere notionis atque opt. εἶεν.

Plura imperativi exempla apud tragicos non exstant. Est igitur ellipsis illa, quam modo vidimus, in imperativum ab iis non extenta. Si quando ex optativo suspensam facere volunt adhortationem, utuntur opt. c. ἄν, ut indicent, incertam esse exspectationem loquentis, num obtemperaturus sit alter, et committere eum illi, velitne obedire annon, ut
Soph. El. v. 1457. χαίροις ἄν, εἴ σοι χαρτὰ τυγχάνοι τάδε.
quocum conferas Ag. 1049. 1394. Primo loco evidens est ironia, loquitur enim Electra ad Aegisthum, qui cum laetum aspectum mortui Orestis fore sibi speret, Clytaemnestram occisam conspiciet.

5. Venimus ad eum optativum, quo notatur actio aliqua tempore praeterito repetita. Comprehenduntur enim ea, quae identidem factitata sunt, in unam quasi summam, quae quamvis iis quae vere fuerunt effecta sit ipsa tamen sola cogitatione ficta est ideoque optativo proponenda. Sed quoniam singula, quae complectitur, vere sunt facta, in apodosi sequi potest indicativus. Is vero ubique est imperfecti, nusquam aoristi, nam actio saepe facta non potest non amplum aliquod temporis spatium amplecti.

Sed erat Graecis etiam copia alio quodam modo significandi actionem iterum atque iterum factam, si quidem in utroque membro usurparent imperfectum, in apodosi vero illud cum ἄν part. construerent, quae cum rem revocaret ad causarum cohaerentiam, eam non uno tantum temporis momento factam esse declararet, sed quotiescunque idem rerum status reverteretur. Huismodi locum unum tantum inveni, Phil. 292. In

eisdm. fab. v. 710. utrumque coniunctum est, εἰ c. opt. et impf. c. ἄν.

6. Denique disserendum nobis est de optativo in hypothesi cum ἄν part. constructo, de quo Reisigius illo loco, quo modorum in enunciatis conditionalibus vim ex comparatione cum ἤν c. coni. definit (l. l. p. 106.) haec: »Cum ἢν ἔχῃς in utramque partem dicatur, ut per rei naturam pariter possit esse atque non esse, — εἰ ἂν ἔχοις cum iudicio coniunctum (est) ἔχοις ἄν, si habeas, et est, cur habere te statuam.« et (p. 104.): »In εἰ ἂν ἔχοις videlicet ἄν non cum εἰ, sed cum optativo copulanda quasi quendam peculiarem modum efficit, qui prope ad futurum tempus accedat, nec multum illa diversa sunt ab εἰ ἕξεις.« Sed ut supra (p. 29.) vidimus, verisimilitudinis significationem ab eo non recte detrahi coniunctivo, addi indicativo futuri, ita in hac structura ut efficiatur notio cognata ei quam futuro tribuit nimis augeri ἄν particulae vim planum est. Nam si in ea illud inesse vult »et est, cur habere te statuam,« non coniectura tantum fit, sed certa quaedam conclusio, diciturque causa aliqua esse, non solum cur fieri aliquid posse, sed cur re vera esse statuamus. Sed etiamsi, id quod et universae eius doctrinae melius convenit et in uberiore huius structurae explanatione quae sequitur spectatum ab eo est, εἰ ἂν ἔχοις ita explicemus »si habeas, et est cur habere posse te statuam«, periculum erit, ne sic quoque certae quaedam causae videantur, ob quas effici res facile possit, oriaturque verisimilitudinis illud, quod quamvis naturae ἄν particulae non repugnet, tamen non in omnes eius usus partes quadrat minimeque in hanc structuram. Ponitur enim aliquid in mente et cogitatione loquentis optativo, idemque aliquantum probabilitatis ex praesenti rerum conditione habere affirmatur ἄν part. Praecipua vero constructionis vis in verbi modo sita est, neque igitur probabilitas illa, quam ex rebus extra subiectum positis res habet, permagna esse poterit, nam si animum magnopere moveret, id ipso modo, coniunctivum dico, significandam esset. Recte igitur Baeumleinius*): »Elementa, quae dicuntur subie-

*) Quae sit particulae ἄν cum εἰ atque optativo constructae significatio inquiritur. Heilbronnae 1835. p. 10.

ctiva, ita praevalent, ut aliqua tamen ratione ad obiectivam veritatem sententia referatur.«

Exempla huius structurae ne apud Homerum quidem frequentia sunt, paucissima vero apud tragicos, sed ea non reiicienda, nam cum ratione eius optime congruunt. Apud Aechylum unus hic locus est

Ag. 930. εἰ πάντα δ' ὣς πράσσοιμ' ἄν, εὐθαρσὴς ἐγώ.

de quo Reisigius (l. l. p. 107.): »ἄν part. ad hypothesin addita parum decore anticipatum est θάρσος. nimia est enim fiducia et Agamemnone indigna, omnia credere prospere eventura.« Nos vero ἄν non offendet, neque enim tantum ei dabimus, quantum ille. Putat quidem Agamemno fieri posse ut etiam in futuro tempore res prospere sibi succedant, sed loquitur dubitanter et sine ulla confidentia. Vere nos sentire, probat Homeri usus. Nam, ut pauca ex eo afferam, Z 50. Adrastus a Menelao, cuius in manus incidit, vitam sibi concessum iri, (ut nuntium mittere possit patri,) fidenter sperare non potest, neque X 221. quamvis magnum favorem Apollinis in Hectorem esse sciat Minerva, facile adductum eum iri arbitrabitur, ut ad pedes Jovis se prosternat, interitum illius deprecaturus, neque I. 445. licet fieri posse putet pro potentia deorum, ut iuvenem se faciant, facile hoc sibi aliquem eorum promissurum esse credet Phoenix.

Sed etiam apud Euripidem

in Hel. 824. εἴ πως ἂν ἀναπείσαιμεν ἱκετεύοντέ νιν.

ἄν sustentaverim. Nam spectandum est non tam, num commovere precibus Theonoen velint Helena et Menelaus, quam num commoveri illa se sit passura. Hoc vero valde ambiguum est, neque enim facile advenis et peregrinis adversus fratrem germanum auxilium feret.

Non potest ita referri ad alteram personam verbum

in Phoen. 725. εἰ νυκτὸς αὐτοῖς προσβάλοιμεν ἐκ λόγου;

neque igitur προσβάλοιμ' ἄν illius loci similitudine defendi credemus. Accedit quod ἄν in solis noviciis libris legitur, in praestantioribus est nudus optativus προσβάλοιμεν, tritus ille in proponendis consiliis, cf. J. T. 999. Hel. 1042. Or. 767. Phoen. 733. 1686. Ab hoc ergo non est quod recedamus.

Andr. 758. εἴ τι γὰρ πάσχοι τις ἀμήχανον, ἀλκᾶς
οὐ σπάνις εὐγενέταις.

eiiciendam esse ἄν part. in libris ante πάσχοι insertam antistrophicus versus arguit, quamobrem editores omnes recentiores, Dindorfius, Hermannus, Nauckius, Kirchhoffius, eam deleverunt. Neque vero cum Baeumleinio*) propterea solum optativum huic loco minus accommodatum crediderim, quod ante oculos posita sit choro misera Aodromachae conditio. Nam si ad hanc spectasset poeta, utendum ei fuisset coniunctivo, ut indicaret, non modo illam infelicem esse, sed posse idem etiam aliis accidere. Per εἰ vero c. opt. et ἄν efficeretur haec sententia, videri quidem fieri posse, sed minus facile, ut aliquis rebus adversis conflictetur, ea autem propter ipsam praesentem Andromachae miseriam minime apta esset.

Longe aliam atque omnibus in his locis causam habet opt. c. ἄν

in Ai. 403. ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τίσις δ'
ὁμοῦ πέλει, μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα,
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι.

Plura enim sunt conditionis membra, quorum in extremo est opt. c. ἄν, estque interpositis superioribus sententiae nexus ita laxatus, ut hic iam non ex particula conditionali pendere, sed mutata structura libere positus esse videatur. Fieri hoc facile potuit, quia etiam illis: si perit etc. subest iudicium: et perit etc.

*) Untersuchungen über die griech. Modi u. s. w. p. 331.

Restat ut videndum nobis sit de modorum usu in iis enunciatis conditionalibus, quae aut orationi obliquae inserta sunt aut addita ad enunciata finalia. Quae nobis proficiscentibus ab iis, quae adhuc exposuimus, paucis absolvere licebit. Sed nonnulla sunt, quae accuratiore explicatione egeant.

De enunciatis conditionalibus in oratione obliqua positis.

Alienae personae oratio si in eodem tempore collocatur, in quo is qui loquitur versatur, non est cur illius cogitationem et suam discernat, nam quod alteri peractum est, idem est alteri, quod praesens illi, idem huic, idem utrique futurum. Itaque in oratione obliqua eaedem verbi formae ponuntur, quae ponendae erant in oratione recta.

Aliter vero res se habet, si oratio illius in praeteritum tempus cadit. Nam quod praeteriit, utrique quidem praeteritum est, sed quod illi praesens fuit, huic praeteriit, quod illi fieri posse videbatur, fortasse factum est, fortasse effici posse iam non videtur. Quare, ut ex animo alterius praedicatae vel sumptae esse clare indicentur, res futurae et praesentes poni solent optativo.

Sed fit interdum, ut aliquis in tempus praeteritum mente relapsus se in eodem rerum statu positum fingat, in quo alter cum loqueretur versabatur. Itaque etiam in huiusmodi enunciatis rectae orationis modi retinentur, ut ἐάν c. coni. Aesch. Suppl. 612. Eur. Suppl 500. εἰ c. ind. fut. Pers. 355. Cho. 273. Andr. 948. J. T. 950. J. A. 103. In utroque membro eos nusquam inveni, nam ceteris locis in apodosi est infin., Pers. vero v. 355. et J. A. 103. in hac certe ind. mutatus est in opt.

Tritissimus in hypothesi est optativi usus, insequente infinitivo vel aoristi, post verba imperium vel voluntatem indicantia, Prom. 667. Ai. 755. Eur. El. 907. Or. 259. J. A. 62., vel futuri, post verba promittendi, minandi, Phil. 618. Trach. 610. Tro. 921. 923. Saepe omittitur inf. fut., quia res ipsa docet, orationem ad futurum tempus spectare, Ag. 883. Eum. 465. Ant. 414. Ai. 312. Phil. 352. 374. Semel exstat οὐ μή c. opt., ubi in oratione recta ponendum fuit οὐ μή c. ind. fut., Phil.

612., semel imperfectum, Pers. 369., ab nuncio dictum, tamquam non enarret Xerxis mandata, sed ipsum rerum statum, qui vere fuit, describat. O. R. 306. ad inf. aor. accedit ἄν part., ut mutata oratione obliqua in rectam mutandus sit ille in opt. c. ἄν, retento in conditione optativo.

In oratione recta soli praesentis*) et aoristi optativi reperiuntur, futuri optativus ab illa excluditur, admittitur in oratione obliqua, bis in apodosi, Pers. 355. Phil. 612., quinquies in protasi, Pers. 369. Ant. 414. Ai. 312. Phil. 352. 374. Huius rei causas qui accuratius noscere vult, multa cum diligentia et subtilitate expositas eas inveniet in dissertatione, quam scripsit L. Klemens de futuri optativo (Vratisl. 1855.) Ego vero paucissimis eas comprehendam.

Sola ea, quae vere fieri praedicantur, in certo quodam tempore ponuntur — indicativo; in iis, quae fieri posse vel per rerum naturam vel secundum opinionem loquentis dicuntur, non requiritur certorum temporum oppositio, sed significatur sola ratio, quae cogitationi loquentis cum rerum veritate intercedit — coniunctivo et optativo praesentis et aoristi. (cf. p. 16.)

Jam vero si oratio recta mutatur in obliquam, ubi illic fuit certorum temporum mutua relatio, ea hic quoque servanda est, ubi in illa non est facta, non est cur in hanc inferatur. Itaque coniunctivus praesentis vel aoristi mutatur in opt., opt. illorum temporum manet, ind. vero cuiusvis temporis transit in eiusdem temporis opt.

Ergo futuri optativus in sola oratione obliqua locum habet, et ne in ea quidem, nisi ex ind. fut. ortus. Qua de causa Phil. 612. statuendum est, in οὐ μή ποτε πέρσοιεν optativo respondere in recta oratione non coni., sed ind. fut.

In Or. 284. ut in re non facta habemus in hypothesi temporis praeteriti ind., in apodosi infin.

*) Perfecti optativum praeter O. R. 840. ἂν ἐκπεφευγοίην πάθος me invenire non memini. Significat autem ἂν ἐκπεφευγοίην statum fuga effectum estque idem fere atque »liber sim.«

Verum Jon. 44. ἐθαύμασ' εἴ τις Δελφίδων τλαίη κόρη
λαθραῖον ὠδῖν' εἰς θεοῦ ῥῖψαι δόμον.

εἰ part. non pro conditionali accipienda est, sed θαυμάζω componendum cum iis verbis, quae nescire aliquem vel dubium esse indicant.

De enunciatis conditionalibus ad finalia additis.

Consilium quod quis modo sequitur vel secuturus est, significandum est coniunctivo, quia nemo sine ulla efficiendi exspectatione ac spe aliquid agit ac molitur, neque igitur potest ex conditione suspensum esse, quae non aut vere esse ponatur — indicativo, aut fieri posse per rerum naturam praedicetur — coniunctivo. Ac reperiuntur

ind. praes. O. C. 1020. 1131. Hec. 613. Jon. 400. 401. Hel. 66.
impf. Soph. El. 1460.
aor. O. C. 1378. Jon. 736. Phoen. 1455.
fut. Soph. El. 1003. (vide p. 35.)
coni. Andr. 188. Hel. 742. J. A. 1242. Bacch. 813.

Consilium vero tempore praeterito captum, quod quis perficere iam non studet, ut ipsum mente quondam agitatum esse indicatur optativo, ita, si ex conditione aliqua aptum fuit, haec quoque tota in cogitatione ponenda est. Eur. Andr. 945. Hec. 12. Jon. 1303. Tro. 867. fr. 392. Si actio ipsa ad consilium perficiendum non est suscepta, ne conditio quidem impleri potuit, quare exprimenda est indicativo praeteriti. Cho. 198. Sin autem illa cogitatione tantum ficta esse declaratur optativo cum ἄν constructo, etiam in enunciato finali et in conditionali usurpandus est modus subiectivus, optativus. Tro. 703. Aesch. Suppl. 398. οὐκ ἄνευ δήμου τάδε
πράξαιμ' ἄν, οὐδέπερ κρατῶν, μὴ καί ποτε
εἴπῃ λεώς, εἴ πού τι μὴ τοῖον τύχοι,
»ἐπήλυδας τιμῶν ἀπώλεσας πόλιν.«

consilium quamquam urbanitate Attica modestius prolatum constare ostendit coniunctivus. Sed in ponenda hypothesi revertitur poeta ad illam loquendi formam, quam primum instituit, optativo usus. Τύχοι enim non poterimus quin recte a Porsone ex librorum τυχθῇ restitutum esse censeamus, si memi-

nerimus, quod Hermannus (adnot. ad Suppl. init.) monet, codicem Mediceum descriptum esse ex libro litteris quadratis scripto.

Eur. El. 95. δυοῖν δ' ἅμιλλαν ξυντιθεὶς ἀφικόμην
πρὸς τέρμονας γῆς τῆσδ', ἵν' ἐκβάλω ποδὶ
ἄλλην ἐπ' αἶαν, εἴ μέ τις γνοίη σκοπῶν
ζητοῦντ' ἀδελφήν.

quamquam ad ἀφικόμην facile accedit haec cogitatio, Orestem ea, quae intendebat, cum adveniret, etiamnunc intendere, ut aoristum perfecti vice fungi dicas, et ut ad sententiam accommodatus sit coniunctivus, tamen aoristi forma illud tantum indicatum est, advenisse eum illo consilio, ad quam cogitationem cum rediret Orestes, in hypothesi uti debuit optativo.

Crit. fr. 1. v. 11. s. τηνικαῦτά μοι δοκεῖ
. . πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
γνῶναι δέος θνητοῖσιν ἐξευρεῖν, ὅπως
εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρα
πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσί τι.

consilium quidem ex mente viri illius sapientis, quem quondam exstitisse poeta arbitratur, positum est, sed quoniam metus semel inventus in posterum tempus mansit, conditio addi potuit coniunctivo.

VITA.

Natus sum Albertus Augustus Julius Winter a. d. VII. Kal. Febr. a. h. s. XL. Sprottaviae, in urbe Silesiae inferioris, patre Augusto, matre Henrica, ex gente Conrad, qui ut tranquillam et beatam senectutem agant maxime in optatis mihi est. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum rudimentis cum in ludo publico urbis patriae, tum privata Goldbachii, qui tum conrectoris eius munere fungebatur, viri benevolentissimi mihi opera instructus peracto duodecimo aetatis anno gymnasium Gorlitiense adii. Decursis huius tertio et secundo ordinibus a. h. s. LV. ad rem iudiciariam me contuli, coactus magis necessitate quadam, quam ductus studio. In qua cum per duos annos versatus essem, data mihi facultas est ad literarum studium revertendi, et libenter eam arripui. Redii Gorlitium et a Schuettio V. Ill. rectore in primam gymnasii classem receptus sum. Biennio post maturitatis testimonium adeptus academiae Lipsiensis civis sum factus. Per duo semestria interfui scholis philologicis V. V. Ill. Bursian, Nitzsch, Stallbaum, Westermann, philosophicis V. V. Ill. Drobisch, Weisse, theologicis V. V. Ill. Brueckner, Hoelemann, Tuch. Mense Aprili anni huius saeculi LX. hanc almam academiam Viadrinam petii et a Friedliebio, V. Ill., qui tunc fasces tenebat, in civium eius numerum sum receptus, apud Grubium, V. Ill., philosophorum ordinis decanum, rite nomen dedi. Interfui scholis virorum amplissimorum Bernays, Braniss, Haase, Hertz, Junkmann, Luebbert, Roepell, Rossbach, Stenzler, Westphal. Haud paullum emolumenti cepi ex exercitationibus philologicis, quibus praeerat Westphalius vir doctissimus, summam vero utilitatem ex seminarii regii exercitationibus, quarum per tria semestria particeps fui, rectoribus Haasio et Rossbachio V. V. Ill. His et omnibus, qui optime de me meriti sunt, gratias quam maximas et ago et semper habebo.

	Pl		Or. obl.	Enunc. fin.
— Fr.		Cho. 105, 203, . O. R. 691, 92, 831. Phil. 57, 1665, 1768. El. 300, 534. on. 948, 1122. . 95. Fr. 454,		O. C. 1020, 1131. Hec. 613. Jon. 400, 401. Hel. 66.
		1084. Or. 693. 3.	Eur. Suppl. 500.	Bacch. 813. — Crit. Fr. 1 v. 14.
ndr. 219. Tro. . Fr. -		. Suppl. 753, 3, 1049, 1394, . 212.) 413, 548, 558, 170, 265, 455, hil. 1043, 1048. 34. ndr. 585, 827. 5, 724. H. F. 985. Hel. 286, 73. Phoen. 513, 00, 832, 1020. 288 v. 13, 300, Fr. adesp. 87, C. 268. Hipp.	Pers. 369. Ag. 883. Eum. 465. Prom. 667. Ant. 414. O. R. 306. Ai. 312, 755. Trach. 610. Phil. 352, 374, 612, 618. El. 907. Tro. 921, 923. Or. 259. I. A. 62.	Andr. 945. Hec. 12. Jon. 1303. Tro. 867. Eur. Fr. 392. — Eur. El. 97. — Tro. 703. — Aesch. Suppl. 400.

	Praes.	Perf.	Aor.	Imperf.	Plqpf.	Fut. Coni. delib.	Imper. Coni. adhort.	Opt. in opt.	Opt. c. ἄν	Or. obl.	Enunc. fin.
εἰ c. Praes.	Aesch. Pers. 800, 803. (Sptm. 517.) Suppl. 186, 960. Ag. 160, 165, 671, 676, 1050, 1088, 1239, 1296, 1403. Cho. 223, 298, 570, 656, 672, 755. Eum. 219. Prom. 988. Fr. 259. Soph. Ant. 169, 510, 516, 551, 679, 719, 722, 724, 728, 741, 1326. El. 254, 339, 347, 608, 616, 768, 824, 1216, 1221, 1467, 1493. O. R. 42, 91, 246, 302, 368, 383, 408, 515, 549, 551, 638, 823, 895, 944, 986, 1010, 1015, 1049, 1110, 1516. Ai. 278, 594, 746, 783, 793, 1270. Trach. 52, 59, 67, 176, 192, 228, 243, 373, 397, 406, 445, 449, 457, 588, 719, 808, 943. Phil. 109, 469, 621, 818, 853, 910, 1130, 1236, 1246. O. C. 260, 509, 616, 639, 734, 743, 802, 934, 957, 1006, 1022, 1323, 1370, 1380. Fr. (33,) 84 v. 1 et 2, 85, 188, 358, 531, 855, 856. Eur. Alc. 39, 143, 314, 517, 532, 677, 696. Med. 88, 737, 931, 1285. Suppl. 258, 470, 915. Andr. 6, 205, 242, 329, 351, 542, 590, 703. El. 50, 524, 556, 793, 921, 938, 1096. Her. 353, 435, 437, 443, 491, 549, 592, 627, 1045. Hipp. 97, 116, 293, 441, 1067. Hec. 232, 265, 309, 560, 588, 730, 842. H. F. 39, 140, 146, 206, 497, 515, 576, 1104, 1301, 1332. I. T. 460, 568, 979. Jon. 369, 402, 462, 533, 1279, 1385, 1412, 1494. Tro. 36, 904, 958. Hel. 85, 486, 795, 850, 1019, 1062, 1418. Or. 238, 302, 478, 616, 1242, 1535. Phoen. 86, 519, 525, 767. I. A. 837, 888, 1035, (1553.) Bacch. 39, 796. Cycl. 352, 524. Rhes. 514, 695, 750, 976. Fr. (84,) 199, 211, 283, 294, 326, 327, 362 v. 19. 396, 400, 466, 508, 703, 775, 784, 904, 916, 981, 984, 1039, 1058. Arist. Fr. 1. Jon. 41. Astyd. 8. Dion. 2. adesp. 55. (vide p. 7 s.) Ag. 843, 1661. Prom. 835. — Ant. 1259, 1326. El. 127, 273. O. R. 305. Ai. 816. Fr. 338. — Med. 61. Her. 172. Hec. 715. H. F. 41. I. T. 482, 611, 1256. Jon. 682. Tro. 1159. Hel. 27, 951. Or. 736, 1042, 1588. Cycl. 297. Fr. 971, 1058.	Sptm. 447. — Ant. 536. Ai. 782, 1317. Trach. 586. Phil. 44. 1278. O. C. 726.	Ag. 1308. 1328. O. R. 1365. Ai. 1127. Phil. 192. 1290. O. C. 877, 1448. Suppl. 256. Hipp. 278. Hec. 588. H. F. 1156. Jon. 359. Tro. 934. Hel. 20. Or. 486. Phoen. 1597.	O. C. 1331. Hipp. 361. Or. 920. I. A. 401, 946. — Alc. 719. Hipp. 297, 509. H. F. 707. Fr. 892.		Suppl. 57, 154, 778. Cho. 305, 484. Prom. 343. Ant. 486, 1040. El. 399, 473, 944. O. R. 294, 571, 1076, 1086, 1225. Ai. 84, 406, 547, 562, 1108, 1396, 1400. Trach. 451, 587, 620, 1155, 1201, 1218. Phil. 558, 886, 1035. O. C. 306, 622, 638, 875, 1441. Fr. 188. Alc. 333, 509, 1108. Med. 66, 75, 399, 949. Andr. 254, 266, 354, 564, 625. El. 362, 407, 421, 984. Her. 251, 562. Hipp. 659, 1099. Hec. 324, 1156. H. F. 852, 1307. I. T. 43. Jon. 377, 769, 1065, 1404. Tro. 358. Hel. 955, 988. Or. 1521. Phoen. 893, 1746. I. A. 397, 793, 993, 1034, 1482. Cycl. 199. Rhes. 128. Fr. 781.	Pers. 295. Suppl. 366. Ag. 1060. Cho. 115, 497, 522. Eum. 31, 439. Prom. 196, 607, 683, 763, 765, 816, 819. Ant. 76, 98, 304, 524, 887, 1038, 1168. El. 31, 252, 550, 585, 605, 648, 820, 891, 1055, 1117, 1415, 1472. O. R. 230, 283, 310, 343, 669, 696, 926, 958, 1060, 1180, 1424. Ai. 129, 138, 329. Trach. 64, 404, 416, 671, 799, 801, 1200, 1204, 1211, 1222. Phil. 49, 229, 526, 645, 661, 730, 747, 1042, 1075, 1162, 1204, 1402, O. C. 9, 27, 104, 166, 450, 488, 1120, 1179, 1480, 1556. Fr. 101, 145, 416. Alc. 1044, 1115. Med. 156, 357, 607, 673, 693, 817, 1308, 1309, 1347. Suppl. 568, 570, 1047. Andr. 461, 1052. El. 77, 674, 903, 1049. Her. 471, 529, 572, 722. Hipp. 295, 510, 868, 873, 1085, 1143. Hec. 319, 334, 381, 427, 559, 772, 825, 943. H. F. 212, 1105, I. T. 264, 449, 1201. Jon. 232, 1047, 1559. Tro. 776, Hel. 953, 992, 1100, 1684. Or. 237, 1042, 1232. Phoen. 117, 1266. I. A. 494, 860, 865, 1208. Bacch. 326, 1314. Cycl. 425, 643. Rhes. 473. Fr. 133, 443, 701, 1045. Astyd. Fr. 5. Autiph. 5.	Ag. 944. Eum. 292. Ant. 927. El. 240. 389. O. R. 662. 883, 903. Phil. 962. Alc. 756. Suppl. 456. Hipp. 1028, 1180. Hel. 727. Cycl. 259, 260. Fr. 416.	Pers. 631. Suppl. 387. Ag. 261, 338. Cho. 105, 203, 668. Eum. 885, 887. Prom. 345, 978. Ant. 39, 925. El. 315, 799, 1105, 1203. O. R. 691, 813. Ai. 691, 773, 1130. Trach. 3. 592, 831. Phil. 21, 116, 510, 661. O. C. 827, 995, 1457, 1665, 1768. Alc. 1081, 1088. Med. 460. Suppl. 645. El. 300, 534. Hipp. 473. Hec. 771. H. F. 1106. Jon. 948, 1122. Hel. 955. Or. 1052. I. A. 482. Cycl. 95. Fr. 454, 803. Phoen. 1207 om. ἄν.		O. C. 1020, 1131. Hec. 613. Jon. 400, 401. Hel. 66.
εἰ c. Perf.	Pers. 157. Ant. 681. El. 865. Ai. 23, 782. Trach. 368. Phil. 652. Fr. 522. Suppl. 250. Hipp. 1011. I. T. 370, 1445. Phoen. 498. Bacch. 195.	Eur. Suppl. 529.	Eur. Suppl. 529.			Suppl. 1016. Ag. 29. Hipp. 603. Hec. 1156.	Prom. 821. Soph. El. 646, 647, 1119. I. A. 1209.	O. R. 644.	Ai. 263. Med. 1124.		
εἰ c. Aor.	Cho. 543. El. 1425. O. R. 443, 969. (O. C. 665, 1139. Fr. 18, 760. Alc. 541, 820. Hec. 594. H. F. 594. I. T. 1174. Jon. 1304. Or. 1070. (Phoen. 949.) I. A. 383, 684, 1017. Fr. 186, 207, 268. — Trach. 26. Or. 17. — Sptm. 1016. Hipp. 961.	Phil. 1174. H. F. 151. Jon. 354.	Ag. 934. — El. 1266. Trach. 8. Phil. 1174. — El. 1086. Hec. 1189. Phoen. 1657. I. A. 906. ἄν Ag. 935. — El. 372. O. R. 572. Ai. 45, 447. Trach. 278. Phil. 948. Alc. 570, 580. Med. 370. Suppl. 459, 1094. Andr. 215. El. 40. Hipp. 652. I. T. 849. Jon. 967. Cycl. 184, 687. Rhes. 59. Fr. 637, (843.) (Fr. adesp. 145.)	Andr. 675. — Hec. 1167, 1168. ἄν Ant. 461, 466, 905, 910. El. 439. O. R. 261. Ai. 1057. O. C. 1365. Alc. 1041. Med. 585. Suppl. 794. El. 1024. Hipp. 696. Jon. 847. Tro. 46, 410, 1157. Hel. 935. Or. 237, 1132. Phoen. 500.		Eum. 269. Ai. 1067. O. C. 661. Hec. 1232. I. A. 937, 1395.	Pers. 217. Ag. 520. O. R. 165. H. F. 533. I. T. 504. Jon. 233. Hel. 867.	Hipp. 887.	El. 774, 798. Trach. 71. O. C. 974. I. T. 433. Tro. 1231. Bacch. 1330.		O. C. 1378. Jon. 736. Phoen. 1455.
εἰ c. Imperf.	Suppl. 343. Cho. 543. Phil. 410. Phoen. 1654. Rhes. 712. — Tro. 242. — Andr. 714. Hel. 1104.	Ag. 866.	Hec. 779. — Phoen. 1563. ἄν Suppl. 287. — Ant. 755. O. R. 124, 402, 432, 1386, 1438. Ai. 442. Trach. 896. Phil. 1037. O. C. 905, 1343. Alc. 124, 368, 749. Med. 1340. Hipp. 1019, 1039, 1041. Hec. 1088. H. F. 232, 312, 434, 654. I. T. 987. Tro. 399. Hel. 75, 289, 1623. Or. 280, 575, 1521. Phoen. 1349. I. A. 964, 1213. Bacch. 702. Rhes. 845. (Fr. 1117 v. 64.)	Soph. El. 198. O. R. 1118. Ai. 488, 886. O. C. 1664. — Suppl. 244. — El. 528, 577. O. R. 255. — Med. 487, 583. Hipp. 613. Hec. 1196. H. F. 210. Jon. 849. Fr. 406, 459. ἄν Sptm. 662. Ag. 869, 1025, 1199, 1395. Ant. 906. El. 312, 393, 556, 604, 992, 1331. O. R. 348, 591, 1511. Trach. 86, Phil. 1219. O. C. 271, 644, 924, 951. Fr. 510. Med. 537. Suppl. 202, 305, 485, 1089, 1090. Andr. 658. El. 398. Hipp. 388. 495, 1039, 1041. Hec. 882, 1206. H. F. 654, 1238. Jon. 366, 967. Bacch. 251. Fr. 323, 349, 362 v. 22, 813, 968. Agath. Fr. 24. Theod. 8, adesp. 461. — Phil. 292.	ἄν O. R. 984.		Eur. Fr. 1020.		Ai. 962. O. C. 969. Eur. Suppl. 768. El. 541. Fr. 829.	Or. 284.	Soph. El. 1460. — Cho. 198.
εἰ c. Plqpf.				Eur. El. 1041.							
εἰ c. Fut.	Sptm. 618. Suppl. 461, 474, 511. Ag. 207, 1249. Cho. 182. 775. Eum. 491. Ant. 90, 461, 485. El. 379, 500, 1210. O. R. 54, 233, 521, 666, 846. Ai. 1241, 1256. Trach. 1246. Phil. 68, 988, 1198. Alc. 744. Med. 511, 1238. Suppl. 539. 544, 714, 787. Andr. 60, 377, 408, 1251. El. 47. 262, 337, 583. Her. 197, 418, 443, 495, 593, 763. Hipp. 327, 503, 691. Hec. 785, 846. H. F. 208, 488, 1060. I. T. 677, 974, 997, 1380. Jon. 680, 1076. Tro. 883, 1237. Hel. 918, 1050, 1632. Or. 229, 230, 296, 927, 1106. Phoen. 214, 887. I. A. 940, 1017, 1263, 1413. Bacch. 775. Rhes. 169. Fr. 53, 85, 198, 362 v. 39. (1094.) — Med. 574.	O. R. 1166. Trach. 719. Phil. 75. — Eur. El. 685. I. T. 960. Or. 932.	Suppl. 472. O. R. 843. Alc. 397, 710. Med, 78. Her. 149. Jon. 660. Or. 1213.	Hipp. 461. ἄν Or. 559.		Sptm. 101, 196. Suppl. 902. Cho. 571. Eum. 597. Fr. 275. Ant. 59, 93, 234, 306, 324, 659. El. 430, 464, 470, 832, 1044, 1369. O. R. 620, 901. Ai. 510, 1155, 1308, 1314. Trach. 712, 1113. Phil. 66, 75. O. C. 628, 837. 1340. Fr. 822. Alc. 715. Med. 354, 383. Andr. 253, 313, 696, 905. El. 1093. Her. 166, 243, 271, 373, 650, 735, 974. Hipp. 305, 935, 973, 1086. Hec. 345, 1211. H. F. 1401. Jon. 168, 263, 456, 759, 855, 1030, 1065. Tro. 663. Hel. 974, 1154. Or. 155, 261, 501, 794. 1541. Phoen. 19, 1623. I. A. 290, 651, 969, 1172, 1270. Bacch. 232, 1249. Cycl. 305. Rhes. 113. Fr. 5., — Agath. Fr. 12 bis.	Ag. 1059. Cho. 683. Trach. 305. O. C. 1181. 1206. I. T. 1009. I. A. 816, 995.	O. R. 889. O. C. 1435. Or. 1147.	Suppl. 924. Ag. 1338. Prom. 311. El. 244, 376, 582. O. R. 586. Ai. 1248. Trach. 731. Phil. 1393. O. C. 648. Suppl. 522, 604. Hipp. 483. Jon. 387. Tro. 737. Hel. 1010. Or. 592, 927, 932. Phoen. 726. I. A. 1191. Cycl. 471. Rhes. 591.	Pers. 355. Cho. 273. Andr. 948. I. T. 950. I. A. 103.	Soph. El. 1003.
εἰ c. Coni.	Suppl. 90. — Ant. 710. O. R. 198. O. C. 509, 1442.		O. R. 874.			Ai. 496. Or. 1542. I. A. 1002?	Rhes. 823?		Pers. 791.		I. A. 1242?
ἐάν, ἤν, κἄν c. Coni.	Pers. 708. Eum. 234, 741. Prom. 379, 770. Ant. 45, 327. El. 25, 821, 822. O. R. 1159. Ai. 15, 1077, 1119, 1345. Trach. 411, 672. Phil. 52, 479, 769, 999, 1322, 1342, 1405, (1444.) O. C. 499, 505, 1210. Fr. 24, 227, 323, 736, 747, 749, 788, 845. Alc. 682, 853. Med. 30, 242, 568, 1351. Suppl. 390, 541, 597, 1037. Andr. 163, 209, 213, 380, 420, 679, 754. El. 273, 1016, 1074. Her. 158, 256, 1020. Hipp. 426, 445, 991. Hec. 254, 582, 597, 734, 987. H. F. 237. I. T. 372, 885. Jon. 654. 635, 686, 1418. Tro. 649, 690. Hel. 1090, 1426, 1638. Or. 68, 226, 306, 637, 677, 770, 901, 1325, 1531. Phoen. 199, 404, 759, 776, 778, 958, 978, 979, 1287, 1650. I. A. 370, 980, 983, 1016, 1273, 1380. Cycl. 215, 330, 424. Rhes. 510, 561. Fr. 19, 73, 162 v. 2, v. 4, 173, 200, 254, 277, 289, 294, 341, 345, 364 v. 17, v. 27, 409, 438, 514, 522, 523, 530, 547, 550, 575, 612, 666, 709, 734, 739, 775, 797, 814, 819, 831, 894 bis, 900 v. 3, v. 5, 901 v. 4, v. 7, v. 9, 926, 940, 1047. Crat. Fr. 2. Sosiph. 3 adesp. 41, 47, 55, 92 v. 1 bis, v. 4, 351, 472.	I. A. 914. Eur. Fr. 379.	El. 25. O. C. 1535. Fr. 736. Tro. 693, 720. Or. 700. Fr. adesp. 75, 241, 462.	Eur. Fr. 736.		Sptm. 1027. Ag. 1424, 1667. Prom. 1014. Aut. 86. El. 593, 938, 967, 1053. O. R. 321, 341, 748, 1062. Ai. 528, 1068. Trach. 570, 572, 597, 1107. Phil. 126, 817, 982, 985, 1298, 1299. O. C. 457, 814, 862, 1040, 1197. Alc. 56, 862. Med. 261, 393, 395, 722, 745, 782. Suppl. 474, 1216. Andr. 90, 201, 337, 431, 441, 653, 730, 979. El. 637, 689. Her. 47, 67, 253, 342, 423, 516, 710, 712. Hipp. 507, 514. Hec. 291, 311, 397. H. F. 1269. I. T. 100, 329, 742, 750, 752, 955, 985, 1204. Jon. 539, 607, 1043, 1261, 1311. Tro. 703, 897, 907, 1053. Hel. 480, 507, 509, 831, 928, 979, 1070, 1175, 1291, 1292, 1394, 1445. Or. 300, 552, 1149, 1201, 1303, 1541, 1603. Phoen. 560, 562, 572, 579, 766, 941, 979, 1238, 1659. I. A. 32, 511, 514, 529, 927, 1025, 1167, (1538.) Bacch. 50, 630, 807, 953. Cycl. 312, 568, 570. Rhes. 117, 141. Fr. 676 v. 1, v. 2, 794, 945, (1117 v. 42.) Crit. Fr. 1 v. 22, adesp. 138, 146.	Pers. 529. Sptm. 242. El. 1482. O. R. 461, 605. Ai. 688, 1184. O. C. 1407. Suppl. 389, 1202. Andr. 413. El. 952. Her. 310, 586. Hec. 854, 856. I. T. 743, 1193. Jon. 1132. Tro. 357. Hel. 1392. Or. 1192, 1196, 1199. Phoen. 630. I. A. 149, 1420. Bacch. 304, 348. Rhes. 126, 143, 823. Fr. 364 v. 11, 421, 720, 955.	I. A. 1007.	Ant. 1169. El. 554. O. R. 216, 839. Ai. 1078. Phil. 1259. Suppl. 183. Jon. 437. Tro. 703. Hel. 1084. Or. 693. Phoen. 1221. I. A. 1135. Fr. 364 v. 3. Carc. Fr. 3.	Aesch. Suppl. 612. Eur. Suppl. 500.	Andr. 188. Hel. 742. Bacch. 813. — Crit. Fr. 1 v. 14.
εἰ c. Opt.	Sptm. 4. Suppl. 730. Ag. 1042. Fr. 352. Ant. 1031. El. 370. O. R. 249, 917. Ai. 520, 1344. O. C. 351. Fr. 752. Alc. 557. Med. 627, 1098. Suppl. 1009. Andr. 691, 758, Her. 892. Hec. 769, 835. Jon. 739. Tro. 403. Fr. 163, 211, 255, 315, 463.		Eur. Fr. 775 v. 43.	Prom. 478. Trach. 908. Phil. 699, 710. Alc. 767. Med. 1205. Suppl. 900. Andr. 223. El. 1077, 1073. Hipp. 1215, 1219. Hec. 1143, 1144. I. T. 317, 318. Tro. 998, 1001. Phoen. 1339. I. A. 336. Fr. 222, 813. Crit. Fr. 1 adesp. 455 v. 1, v. 2. — I. A. 1404. Bacch. 600. ἄν Phil. 710.		O. R. 851. Hipp. 1051, 1239. H. F. 716. Or. 501. Fr. 126, 176, 336, 706.	Sptm. 683. Trach. 1188.	Ai. 1175. Med. 125. 541. I. T. 738. Or. 1086.	Pers. 429, 790. Sptm. 5, 260, 403, 550. Suppl. 753, 925, 941. Ag. 37, 345, 347, 555, 563, 1049, 1394, 1659. Eum. 420, 429. Prom. 979. (Fr. 212.) Ant. 69, 505, 384. El. 333, 347, 359, 413, 548, 558, 583, 1316, 1457. O. R. 87, 120. Ai. 170, 265, 455, 827, 1122. Trach. 388, 462, 1134. Phil. 1043, 1048. O. C. 253, 776, 799, 921. 992. Fr. 834. Alc. 478. Med. 565, 726. Suppl. 422. Andr. 585, 827. El. 419, 542, 614, 631, 668. Hec. 315, 724. H. F. 1102. I. T, 570, 656, 999. Jon. 343, 985. Hel. 286, 435, 697, 816, 1042. Or. 767, 772, 1173. Phoen. 513, 725, 733, 1018, 1352, 1686. I. A. 300, 832, 1020. Bacch. 940. Rhes. 463. Fr. 21, 189, 288 v. 13, 300, 336, 524, 526, 529, 586, 891, 895. — Fr. adesp. 87, 222, 447. (vide p. 43.) O. R. 583. Ai. 1159. O. C. 268. Hipp. 981. Hec. 1184. — Ai. 921 om. ἄν.	Pers. 369. Ag. 883. Eum. 465. Prom. 667. Ant. 414. O. R. 306. Ai. 312, 755. Trach. 610. Phil. 352, 374, 612, 618. El. 907. Tro. 921, 923. Or. 259. I. A. 62.	Andr. 945. Hec. 12. Jon. 1303. Tro. 367. Eur. Fr. 392. — Eur. El. 97. — Tro. 703. — Aesch. Suppl. 400.
εἰ ἄν c. Opt.	Ag. 930.								Hel. 824.		

THESES.

I. J. A. v. 1017—1023. cum Dindorfio et Nauckio spurios iudico.

II. In Hipp. v. 244. τί κυνηγεσίων καὶ σοὶ μελέτη; de codicum scriptura nihil mutandum videtur.

III. J. T. v. 1093—95. sic scripserim:

ἐν γὰρ ἀνάγκαις
οὐ κάμνει σύντροφος ὢν
μετὰ πολλῆ δυσδαιμονίᾳ.

IV. Literarum Graecarum et Romanarum historiam superiorum gymnasii ordinum discipulis ratione et via tradendam esse censeo.